COMPENDIUM VITAE B.V. TERESIAE A IESU FUNDATRICIS FRATRUM...

Juan : de Jesús María, Filippo Tommasini







COMPENDIVM VITAE B·V·TERESIAE A IESV

Fundatricis Fratrum Discalceator. et Monialium B^mæ. Virg. M. de Monte Carmelo.

Per R. P. Fr. Ioannem à Iesu Maria Carmelitam Discalceatum Calaguritanum.

AD S·D·N·PAVLVM V·






Superior. permissu.



Romæ apud Stephanũ Paulinum — *Philippus Thomassinus sculpsit*



FR. Ferdinandus à S. Maria Vicarius Generalis Congregationis S. Eliç, Fratrum Discalceatorum Ordinis B. Virginis Mariç de Monte Carmelo, libellum hunc inscriptum Vita B. Virginis Tereſię à Ieſu, per R.P.Fr.Ioannem à Ieſu Maria, prędictę Congregationis Procuratorem Generalem compositum, probo, vt typis mandetur, si placuerit Reuerendiss. D. Vicesgerenti, & Reuerendiss. P. Magistro Sacri Palatij. Datum Romę die 10. Nouembris 1608.

Fr. Ferdinandus à S. Maria
Vicarius Generalis.

Imprimatur si placet R.P.M.Sac.Pal.
Cæsar Fidelis Vicesgerens.

POstulante Reuerendiss. Patre Magistro Sacri Palatij, opus legi, quod Vita B. Virginis Tereſiæ à Ieſu inscribitur, per admodum R. P. Fr. Ioannem à Ieſu Maria Carmelitam Discalceatum compositum, in quo nihil reperi rectæ fidei dissonum, nihil non alijs conso-

num historijs, quas olim viri graues de eiusdem mirabilis Virginis gestis, typis mandarunt; vtilißimum propterea vt imprimatur puto fore, exteris præsertim, qui elegantia Latinæ linguæ allecti, bonos etiam inde mores, Deo aspirante, facilè haurient. Datum Romæ Pridie Kal. Iulij 1609.

D. Petrus Antonius de Ponte Episc. Troianus.

Imprimatur. Fr. Thomas Pallauicinus Bononien. Magister, & Reuerendiss. P. Fr. Ludouici Ystella Sacri Palatij Apostolici Magistri, Ord. Prædicatorum, socius.



✻ 3

B. Virgo Teresia, Abulæ in Hispania anno 1515. à partu Virginis orta. Egit inter Moniales mitigatas annos 27. Reformationem per annos 20. instituit, atque promouit. Obijt verò anno ætatis suæ 68.



Bis iam ter denos vitæ superauimus annos:
Ferre moras ægrè possit adultus amor.
Iam mea sollicitis languent præcordia curis:
Nam tua cor laniant spicula Sponse meum.
Ergo agè: & optantem supremo interfice telo:
Hoc demùm interéam mortis agone precor.



S.D.

S. D. N.
PAVLO QVINTO
PONT. MAX.

Fr. Ioannes à Iesu Maria Fœlicitatem.




EBETVR tibi, Pontifex Maxime, & Catholicæ Ecclesiæ Pater Beatissime, historia Virginis Teresiæ, pro cuius relatione inter Sanctos, apud Sanctitatem tuã planè augustissimam, Diuinæq. proximam, & Vrbes, & Prouinciæ, & potentissimi Reges seriò agunt, nec desistent, donec ei sacros honores Spiritu cælesti afflante decernas. Quocirca æquum est, heroicas virtutes, quibus

Teresia claruit, compendio prænoscas: vt re accuratiùs explorata, grauissimè pronunties. Huc ego destinaui scriptũ hoc, munus certè perexiguum, quod, supplex oro, ne asperneris, memor rerũ sanè grandium, quas volumine paruo contexui. Inspice, obsecro, Summe orbis terrarum censor, & synceræ sanctitatis Iudex, luminibus diuinis splendentem Virginis Teresiæ vitam, cuius pulchritudine capiaris. Ego verò interim, Pater Sanctissime, pro incolumitate tua ad Ecclesiæ totius bonum impensiùs expetita, clementissimum Deum enixè precabor.

PRAE-

PRAEFATIO.



ISTORIAM, Lector candide, tria potissimùm capita commendant. Veritas, breuitas, perspicuitas. Veritas, ne in equestria commenta pro veris obtrusa degeneret: breuitas, ne ingenia multis alijs curis obnoxia, ingẽti mole deterreat: perspicuitas, ne ambiguitatibus obortis lectorem exasperet.

Et quidem tria bona hæc in rebus gestis Regum, Ducum, militum minùs fæliciter collocata nitent: in heroicis verò Sanctorum virtutibus obseruata luculẽtiùs splendent. Ipsa quippe rerum celsitudo ad nitoris accessionem plurimùm confert.

Hæc ergo in historia nostra, implorato cælesti lumine, conati sumus, vt gestorum diuinorum, quibus B. Virgo Teresia claruit, veritatem in primis poneremus: breuitatem, multis rebus ad fusiores libros reiectis, affectaremus: perspicuitatem sermonis casti delectu, ac difficiliorum verborum fuga exquireremus.

Duo verò ad penitiorem historiæ intellectum præfari opus est: vnum ad rerum, alterum ad sermonis modum attinebit.

De rebus sic habendum est: opera clarissimæ Virginis Teresiæ, & numero, & pondere adeò excreuisse, vt scriptori cuiuis nimis operosum, & lectori fortasse molestum accideret, ea omnia perlustrare. Accedit, quòd

viri

viri grauiores, qui negotiorum exundationibus obruũtur, & hoc eximiarum virtutum exemplar intueri succisiuis horis exoptant, hoc voto non sine bonorum affectuum iactura carerent. Quapropter rerum maximarum compendium, quàm longiorem historiam hac ætate contexere, salubrius multò visum est.

Ad rem autem ipsam spectat annotare, vitam B. V. Teresiæ, quã grauissimus P. Ribera è Societate Iesu cõscripsit, eam itẽ, quam Turiasonensis Episcopus Fr. Didacus Iepes Hieronymianus elucubrauit, sicut & hanc nostram, esse aliud scripti genus ab eo, quod ipsamet, vt Confessarijs obtemperaret, elaborauit: illud quippe non historia, sed affectionum diuinarum, quæ subibant, quædam expressio est, cui perfunctoriè res alias, quæ ad historiæ genus pertinere videntur, admiscuit.

De sermone illud animaduertendum, voces aliquot Ecclesiasticas perantiquo vsu receptas, nonnulla item recentiora Vrbium, oppidorum, hominum, functionũq. nomina vulgaria consultò posita, ne Latina, & antiquiora, quæ iam penè exoleuerunt, obscuritatem pariãt. Etsi enim Latina poni plerunque possent, ab alijs tamen nationibus, quibus præsertim hoc opus excuditur, nõ ita facilè, ac aliæ, quæ apud eas vulgatissima sunt intelligerentur. Quo certè consilio, tempestate hac, Scriptores illustres, vulgaria nomina Latinè inflexa, suis libris intulere.

Sic Feria, Vigiliæ, antiquo Ecclesiasticorum more, sic Luysius, Gonsalus, hominum; sic Segobia, Pastrana,

alia-

aliaque oppidorũ; ſic Monialis, Prouincialis, Superior, aliaque functionum nomina ritibus nouis vſurpauimus; ex quibus aliqua apud priſcos Auctores Latinè dicta non leguntur, alia priſcis nominibus Latinis efferri potuiſſent. Ipſum quoque vulgare nomen, Tereſia, creberrimè repetitum eſt: licet aliquibus Tharaſia, ad Græcam penè formam efferendum videatur, Θαράσιος quippe Græcis proprium nomen eſt; Hiſpanis Tereſa, vſitatum genti nomen, quemadmodũ Vrraca, Eluira, & eiuſmodi alia: ſatius eſt tamen Tereſiæ nomen quadriſyllabum multorum iam ſcriptis ſub eo numero laudatum, ſcriptis quoque noſtris inſerere.

Quicquid verò boni à nobis depromptum eſt, clementiſſimo Deo bonorum auctori, & B. Virginis Tereſiæ meritis feratur acceptum: errata verò, quæ ob ſcriptoris diſparitatem, irrepſiſſe neceſſe eſt, impenſiùs deprecamur: omniaque S. Romanæ Eccleſiæ cenſuræ ſubijcimus.

CAPITA TOTIVS OPERIS.

LIBER PRIMVS.

LIBER SECVNDVS.

LIBER TERTIVS.

LIBER QVARTVS.

LIBER QVINTVS.

COM-


B · VIRGO THERESIA A IESV. FVND · CARM · DIS

COMPENDIVM VITAE B. VIRGINIS TERESIAE A IESV

Fundatricis Fratrum Discalceatorum, & Monialium Beatissimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo.

LIBER PRIMVS.



Elogia B. Virginis Teresiæ compendio scripta. Cap. I.

DECET sanè rerum maximarum lectores sic ab ipso lectionis primordio affici, vt æstimare norint, quòd perlustrare decernũt. In eum quippe modum lectio vtilior ac delectabilior efficitur, dum res planè grandes, æqua æstimatione perpensæ altiùs imprimuntur.

Quocirca è re lectoris erit, antequam in historiæ campum pedem inferat, quid mūdus penè vniuersus de B. Virgine Teresia opinetur, accipere. In vndecim verò quasi agmina, elogia discernere, consilium est: quorum primum recensemus selecto numero amplissimorum Antistitum, qui facto periculo B. Virginem Teresiam summopere laudarūt: cuiusmodi sunt D. Theutonius de Berganza Archiepiscopus Eborensis, Doctor Belasquez Archiepiscopus Compostellanus, D. Aluarus de Mendoza Episcopus Palentinus, D. Christophorus Roxas Archiepiscopus Hispalensis, D. Christophorus Bela Archiepiscopus Burgēsis, Didacus Couarruuias Episcopus Segobiensis, Doctor Mansus Episcopus Calaguritanus, P.F. Didacus Iepes Episcopus Turiasonensis: è quibus hi duo nouissimi superstites sunt, vt alios Præsules reticeamus, qui B. Teresiæ sanctitatem summis acclamationibus astruxerunt.

Secundum agmen viris sanctitate celeberrimis instruimis. B. Pater F. Luysius

Ber-

Bertran Ordinis Prædicatorum,quē in agmine ſecundo merito recenſemus, cum de illius relatione inter Sanctos, apud Sedem Apoſtolicam tam ſeriò agatur; ſic B. Virgini Tereſiæ, à qua litteras acceperat, reſcripſit.

Litteras tuas Tereſia Mater accepi. Et quia res, de qua ſententiam rogaſti, ad cultum Dei tanti ponderis eſt, reſponſum diſtuli, Deum oraturus, ac ſacrificaturus. Nunc verò ipſius Dei nomine ſcribo, in re tanta, quam moliris, conſtanter agas: ipſe quippe tibi opem feret. Eius pariter nomine te certiorem facio, ante annorum quinquaginta decurſum, Reformationem hanc tuam fore vnam è clariſſimis Religionibus totius Eccleſiæ Dei:qui te incolumem ſeruet. Valentiæ.

Epiſtola hæc facile indicat, quid vir ille ſanctitatis gloria illuſtriſſimus de B. Virginis Tereſiæ probitate, cœptaq. reformatione cenſeret.

Pater magiſter Auila, vir hac tēpeſtate, orbe toto,à vitæ ſanctimonia,à diſcretione

ſpirituum, à doctrinæ grauitate, ac ſalubritate laudatiſſimus, epiſtola vna, eruditionis diuinæ plena, ſatisq. longa, quam compendij huius anguſtia non fert, ſpiritum B. Virginis Tereſiæ probat. Vbi crebrò verba huiuſmodi repetit: Nihil non tutum inuenio: verba à Deo inſpirata mihi videntur. & eiuſmodi alia.

Pater Fr. Petrus de Alcantara Ordinis Sancti Franciſci, qui ſanctitate, ac vitæ auſteritate incredibili priſcos planè Sanctos æquaſſe videtur: quiq. Patrum Franciſcanorum reformationem labore ac induſtria ſua mirificè promouit, eò vſque B. Virginē Tereſiam coluit, vt duo porrò mirabilia dictitaret. Vnum, Tereſiæ animum proculdubio vnum eſſe ex ijs, qui in vniuerſo terrarum orbe eximia ſanctitate ſplenderent. Alterum, quod notatu dignius eſt, exceptis catholicæ fidei aſſertionibus, nihil ſibi certius, quàm Tereſiæ ſpiritum eſſe diuinum. Et quidem inauditus hic cenſendi modus hiſtorijs fide digniſſimis conſignatus eſt.

P. Fran-

P. Franciſcus Borgia, Societatis Ieſu Generalis, mundi contemptu, & vitæ totius ſanctitate conſpicuus, non modò ſpiritum B. Virginis Tereſiæ abſque vlla exceptione probauit; verùm adeò illàm veneratus eſt, vt frequenti litterarum officio ſemel cognitam diutiſſimè ſalutauerit, ne vllum pateretur reciprocæ conſuetudinis decrementum.

Poſſent huc plerique alij ſanctimonię fama celebres intexi: vt P. Fr. Ludouicus Granatenſis, Ordinis Prædicatorùm, cuius pietas orbē totum peruagata eſt; Rodericus Aluarus, Iulianus de Auila, & alij, qui tamquam ſidera in Eccleſiæ cęlo intermicant: verùm inſtituto noſtro excurſus adeò prolixus minimè congruit.

Tertium agmen doctrina cumulatiſſima inſtructum viros clariſſimos habet.

P. Fr. Dominicus Bannes Ordinis Prędicatorum, cuius nomen numquam ignorari poteſt, ob ſcripta grauiſſima, & Salmanticenſis cathedræ theologicæ famam, quam poſt annos plurimos, rude donatus inſigni-

ter

ter auxit, B. Virginem Teresiā, cuius spiritum per annos circiter viginti quatuor accuratissimè explorauerat, tanti fecit; vt cum in eius funere in monasterio Discalceatarum Salmanticensi concionem haberet, palam dixerit, exstimare se, B. Virginem Teresiam, B. Catharinæ Senēsi sanctitate ęqualem esse; Catharinæ verò ipsi diuina librorum suorum doctrina antecellere. Qua certè laude vix vlla maior ab homine grauissimò proferri potuit.

P. Fr. Bartholomæus de Medina, Ordinis Prædicatorum, Salmanticēsis item Academiæ celeberrimus Theologicæ prælector, qui S. Thomæ commentarijs seipsum abūdè commendauit, cum priùs de B. Teresia non excelsè sensisset, postmodum è sacra confessione probè cognitam, spiritu perspicaciter explorato, scriptisq. B. Virginis Teresiæ perlustratis, & miratus est, & acerrimus eius propugnator euasit, dicereq. solebat experimento conuictus, nullam omnino aliam in orbe terrarum Teresiæ parem vitæ sanctitate reperiri.

D.P.Frãciſcus Ribera è Societate Ieſu, vir facilè doctiſſimus, & inter ſacræ Scripturæ interpretes, quos ætas noſtra tulit, profectò nemini poſthabendus, inter grauiſſimas functiones Eccleſiæ toti ſalutares, Deo glorioſum duxit, Vitam B. Tereſiæ, heroicis virtutibus refertam ſtylo graui contexere, & eximiam ſanctitatis, ac ſapientiæ exemplar poſteritati cõmendare.

D.P.Henricus Henriquez ex eadẽ Societate vir planè eruditiſſimus, vt ex theologicis eius ſcriptis nemo nõ perſpicit, vitã, mores, reuelationes B. Tereſiæ diligentiſſimè perſcrutatus, mirũ de illius ſanctitate, ac ſpiritu teſtimoniũ perhibuit, atq. ſubſcripſit.

Fuere & alij permulti è duobus lectiſſimis Ordinibus S. Dominici, ac Societatis Ieſu, quorum catalogum in agmine quarto ſubijciemus.

Quartum agmen cenſoribus, qui ſpiritum B. Tereſiæ ſubtilius diſquiſierunt, viris ſcilicet auctoritate, doctrina, ac rerum ſpiritualium peritia clariſſimis conſtat, quorum catalogus hic eſt.

Ex Ordine S.Dominici, P.F.Vincētius Varron, P.F.Petrus Iuagnes,P.F.Didacus Chiaues,P.F.Petrus Fernandez,P.F.Ioannes Salinas, P.F. Lunar, P.F.Didacus Iangues,P.F.Dominicus Bannes, & P. F. Bartholomæus de Medina,quos ante meminimus,alijq.minimè pauci.

E Societate Iesu clariss.P.Borgia, quem inter viros sāctitate celebres retulimus; P. Araoz,P.Aegidius Gonzalez ,P. Balthasar Aluarez , P.Salazar, P.Ripalda , P.Paulus Hernandez , P. Gutierrez , P. Barrholomæus Perez,atque alij rerum diuinarū cōsultissimi . hi omnes vitam , spiritumq. B. Teresiæ oculatissimè explorarunt : penè omnes ei à sacris confessionibus fuerunt: eius scripta pensitarunt : omnes eximiam eius sanctitatem obstupuerunt .

Quintum agmen cōstat historicis:quod profectò expensione dignum est: inter viros quippe doctrinà excultissimos, qui hac ætate claruerunt, P.F. Dominicus Bannes Dominicanus P. F. Luysius Legionensis Augustinianus, P.Ribera è Societate Iesu,

velut

velut in cohorte prætoria, ab idoneis huius militię existimatoribus enumerantur, quod eorum scripta orbe toto celebrata peruincunt. E quibus primus historiam elucubrare, impensius optauit, sed grauissimis negotijs distentus nequiuit: secundus inchoauit, sed morte interceptus minimè absoluit: tertius (vti superius diximus) recenti rerum memoria, historiam iustam, grauiter, eleganterq. contexuit. Episcopus quoque Turiasonensis P. F. Didacus Iepes Hieronymianus, vir pietate, ac doctrina insignis, vitam B. Virginis Teresię nouissimè conscripsit. Et quidem viri tanti, non suorum Ordinum causam, sed vniuersalem pietatis cultum candidè promouere, absque vllo inuidentiæ stimulo certarunt.

Sextum agmen communi omnium nationum Christiani orbis acclamatione instruitur. Constat enim Teresiæ nomen tam late propemodum patere, quam longè cultus Christi procurrit. Nam præter Europæ regna, quæ B. Virginis Teresiæ sanctitas, & scripta ex Hispanico idiomate, Itali

cè, Gallicè Germanicè Polonicè, Latinè versa peruaserunt, omnino compertum est, in Africæ, Asiæ, & Americæ vastissima regna Teresiæ famam penetrasse. Nam & P. Fr. Didacus de Soria Ordinis Prædicatorum è Philippinis insulis, vbi Episcopatum gerebat, litteris datis ad Clementem VIII. testificatus est, Indos illos in Virginis Teresiæ cultum adeo fuisse propensos, vt Teresię nomen in sacro baptismate suis infantulis imponi plerique postularent.

Septimum agmen libris cælesti sapientia plenis armatur. Patet quippe mentem, quæ toti Ecclesiæ cęlo luce adeo mira pręluxit, purissima Diuinę mentis luce minimè caruisse. Accedit huc præstantissimorum Theologorum, qui B. Teresiæ libros discusserunt, admiratio, & pręconia, verbis, ac scriptis celebrata, quę latere non possunt. Etenim, vt paucos è plurimis commemorem, summis Theologis P. F. Dominico Bannes, P. F. Bartholomæo de Medina, Dominicanis; P. F. Luysio Legionensi Augustiniano, diligentissimis librorum Te-

resiæ exploratoribus, & præconibus, neque ignoratio, neque incogitantia, neque ratio aliqua politica obijci potest. Ignoratio quidem, quia Scholæ pene vniuersę illorum trium scripta venerantur. Incogitantia verò, quia vt acres critici ex professo libros perlustrarunt. Ratio demum politica, quia neque eiusdē professionis erant, neque sibi aliquam laudem, aut lucrum ex scriptorum approbatione conflabant. Bene autem est, quòd nescio quis Theologus nōnulla Teresiæ dicta carpserit, vt S. D. N. Paulus V. hac occasione permotus, ea, quæ obijciebantur, peritissimis Theologis serio peruidenda commiserit, quemadmodū grauissimis in rebus fieri solet: facto quippe Romæ rerum accuratissimo scrutinio, doctissimi P. F. Didacus Aluarez Ordinis Prędicatorum nunc Archiepiscopus Trannensis, & Fr. Ioannes de Rada, Ordinis S. Frācisci Episcopus Pactensis, quibus Sūmus Pontifex curā demādauerat, sic tādem scripserunt. Trannensis nempe, postquàm obiecta argumenta diluerat, in hunc modum

conclusit: Ex his colligo, doctrinam Matris Teresiæ in propositionibus prædictis, nihil continere doctrinæ catholicę, aut bonis moribus aduersum; sed valde vtilem esse ijs, qui perfectam vitam spiritualē profitentur, vel ad eam tendunt: nec posse propter illam eius canonizationem impediri, aut retardari. Ita censeo, submittens meum iudicium correctioni sanctæ Sedis Apostolicæ. Frater D. electus Archiep. Tranēnsis. Pactensis verò postquàm obiectiones reiecerat, sic suam sententiam absoluit: Censeo ergo nihil esse censura dignū in ijs, quæ censor obijcit contra Matrem Teresiam: sed omnia saltem probabiliter defendi posse: Frater Ioannes de Rada Episcopus Pactēsis. Sic res ad Sūmū Pontificē relata est, & libris Teresiæ maior hinc fides accessit. Ecce diuinę prouidētiæ flexuram: permisit videlicet Deus Theologum illum caligare, vt nebulas illius Romani Pontificis auctoritas noua Teresiæ illustratione dispelleret.

Octauum agmen Carmeli reformatio-

nè faustè cœpta, feliciterq. prouecta constituitur. Quì enim fieri potuit, vt mulier sanctimonia non insignis, adeò insignem sanctitatem procrearit? Profectò mirus diuinæ sapientiæ ordo, quo mundum administrat rebus ingenio cælestibus: origines quoque cælestes, diuinæ cuiusdam architecturę concinnitate coaptat. Iam verò Italia, Hispania, Gallia, Polonia, Occidentalis India Teresię partus virgineos à sanctitate laudarunt: neque candidatę proli fundatricem imparem, sed altiorem certè senserunt.

Nonum agmen Virginei corporis incorruptione, liquoris destillatione, ac odore mirifico asseritur. Post annos quippe 25. mirabilis hęc integritas à Medicis, ac Theologis peritissimis in admiratione habita, & diuinę virtuti adscripta, & linteorũ, quibus corpus, aut exiguę quoque particulæ inuoluuntur, tinctura, & fragrantia profectò non leuia sanctitatis argumenta videntur.

Decimum verò agmen crebris sanè mi-

raculis componitur: quæ ſi forent ſingulatim percenſenda, & iuſtum volumen exigerent, & lectorem fortaſſe delaſſarent. At bene eſt, miracula ipſa, tamquam linguis cęleſtibus prędita, ſeipſa euulgare.

Vndecimum agmen ex Eccleſijs, Regibus, Principibus, & Academijs B. Tereſiæ relationē inter Sanctos flagitantibus componitur. Concilium quippe Taraconenſe, Cardinalis Toletanus, Congregatio Eccleſiarum regni Caſtellę, ac Legionis, Patriarcha Antiochenus, qui & Archiepiſcopus Valentinus, alijq. quindecim, aut ſexdecim Archiepiſcopi, ac Epiſcopi grauiſſimi, Rex Catholicus Philippus Secūdus, Imperatrix eius ſoror, Rex Catholicus Philippus Tertius, & Regina eius coniux, Dux Lermæ, alijq. clariſſimi Principes; Academia Salmanticenſis & Complutenſis, ipſaq. religio in primis quā condidit, Regnū Caſtellę, & Aragoniæ, (vt Ciuitates, ac Principes multos prætereā,) apud Sūmos Pontifices pro B. Tereſiæ inſcriptione in album Sanctorum litteris ſupplicibus inſtiterunt.

Ecce iam vndecim agmina ſatis inſtructa, etſi leuiter tacta, vt lectoris animum rationum pondere, ac efficacitate promoueant, ad B. Virginis Tereſiæ vitam æqua rerum æſtimatione luſtrandam. Sed antequam Tereſię hiſtoriam exordiar, origo Carmeli, ruina, & inſtauratio, duobus capitibus proximis lectoris oculis obijcienda eſt.

Religionis Carmelitarum origo. Cap. II.



NNO ante fauſtiſſimũ Chriſti ortum nongenteſimo circiterque trigeſimo, Elias Propheta clariſſimus in Carmelo Syrię monte, quem cultu ſuo fecit inſignem, prima inſtituti monaſtici fundamenta defodit: quæ grauiſſimorum Patrum conſenſio eſt.

Poſtquam enim Dei iuſſu, primogenitum ſuum, & ex aſſe paternæ laudis here- S. Hieronymus ad Paulinum. Io. Caſſianus lib. 1. c.2. & alij.

dem Eliſeum, ex agri cultura euocatum ſibi ſociauit; plurimos alios excelſum, & à fluxis mundi curis exemptum vitæ genus affectantes (quos filios Prophetarum appellatos Scriptura ſacra demonſtrat) in agmine illo primæuo recenſuit: qui eius domum poſt raptum, in Oratorium tanti Vatis nomine decoratum in Carmelo dedicarunt.

Genebrar. chronolog. lib. 4. anno 5268.

Nec Palæſtinæ, Syriæue tantùm finibus cæleſtis inſtitutio circumſcripta eſt; in Aegyptum enim temporis excurſu, lectiſſimæ gentis coloniæ, quos Eſſenos nuncupabāt, deductæ ſunt, vt Eliæ imitatione Alexandria quoque clareſceret.

Car.l.Baronius in Annotat. ad Martyrol. Roma. 20. die Iulij.

Genebrardus in chronol. lib. 1. anno 3272.

Quidquid enim Orientis, Auſtriq. primores, quorum genere Monachorum cœtus gloriantur, tradidere: quidquid etiam ab Oriēte, in Occidentem extat inuectum, nō minima ex parte Inſtitutionis Eliæ quædam expolitio, & ad nationes diuerſas coaptatio eſt; ſiue contēplationis ſtudium, ſiue ſolitudinem, ſiue auſteritatem, ſiue paupertatem velimus expendere.

Trithemius de laudibus Carmel. cap. 3.

Om-

Omnia quippe capita hæc in cœnobijs laudatiſſima, ſic in eo Propheta ſplenduerunt, vt Ioannis Baptiſtæ laudi Chriſtus verterit, imaginem Eliæ ad viuum expreſſiſſe, quaſi animi ſuſpenſio, eremus, aſperitas, caſtimonia, inopia, ceteræque inſtituti monaſtici notæ, quibus Ioannes claruit, totidem Eliȩ dotibus harmonicè conſentirent.

Illi verò Prophetarum filij, Eſſeniue Palæſtinam incolentes (quemadmodum & Eſſeni poſtea in Aegyptum traducti) miris exemplis cœptam inſtitutionem, vſque ad Virginis partum produxerunt: neque enim Chaldæorum, aut aliorum hoſtium feritas, quæ vindictam, ſpoliaque ſitiebat, in homines innoxios, & nihil mortale curantes deſæuijt, Deo ſic agente, vt tanti Vatis eruditio ad eum, cuius typum prætulit, illæſa pertingeret.

Ioan. Hieroſolym. de inſtitut. monach. c. 26.

Cum ergo gens diuinis rebus addicta, id in Carmelo; quod in Oriente tres illi reges Balaam poſteri, modis licet diuerſis, moliretur, vt ſcilicet Deo intentiſſimè vacaret; mox vt Chriſti ſplendor illuxit, bene com-

Armachanus Archiepiscopus in serm. de festo Concep.

parata Euangelicæ veritatis ſtudiū arripuit, & vna cū Apoſtolis in opus prędicationis incubuit. Cui fidem aſtruit Sacellum, quod in Beatiſſimæ Virginis honorem ab ea exædificatum auctores nonnulli prodiderunt.

Ioan. Hierosolymit. c. 11. & 36. Polyd. lib. 7. c. 4. Ioan. Hierosol. de instit. Monach. c. 36. & alij.

Nec ſane decuit Prophetæ tanti poſteritatem ignauia torpeſcere, cùm denſas orbis terrarum tenebras lux noua diſcuteret: ſed antiquum pietatis cultum cum nouo potiùs conciliare, quem & ipſa orbis domina Roma ſuſpiceret.

Strenuam ergo primæ Chriſti ſementi, & Virginis laudi cum Elię poſterì operam nauarent, illuſtriſſimum cognomentum adepti ſunt, vt Virginis fratres appellarentur. Quem ſanè honorificum titulum clementiſſima Regina, & viſis, & miraculis vti rem inuidioſam propagauit; multisq. alijs prærogatiuis gentem auxit, inter quas ſuperhumerale, ſeu ſcapulare, temporis proceſſu B. Simoni Anglicano donatum mirifice lucet.

Ioan. Hierosolym. de inſtitut. Monach. c. 36.

Noua igitur Chriſti agmina concepto

fidei orthodoxę calore validius dimicantia Virginis auxilio feliciter egerunt: & Carmelus, celestibus iam viris, quàm plantis fœcundior, cœpit animos excelsos procreare, ac in hunc modum, non tam scripto, quàm traditione instructus vsque ad annum à Christi natali quatercentesimum perdurauit. An. 400.

Creuerat mirum in modum noua Virginis proles, quam scriptis iam legibus temperari opus erat: quamobrem Ioannes Hierosolymitanus Patriarcha quadragesimus quartus (quē Molanus inter Sanctos refert) regulā è Scripturæ sacræ consilijs, & veterum Patrum, qui ab Eliæ tempore Carmelum incoluere, documentis contextam ei pręscripsit. Ad annum 400.

Series verò longa, sub ea regula, per annos plurimos excurrit, multisq. laboribus & infestationibus Carmelus afflictus est: ad annum quippe sexcentesimum vsque numerosa proles increuit: at posthac persecutionibus grauissimis Ecclesiæ hostium exagitata in patrio monte, quò se velut in asy- An. 600.

An. 800. lum tota recepit, vſque ad octingenteſimum annum perſeuerauit.

Poſt eum vero annum Pontifices Summi (à Leone illo, qui Pontificatum ad annum 848. geſſit, vſque ad Gregorium VII.) ſtatum rerum aduerſarum commiſerati, gentem afflictam priuilegijs augere perrexerunt. An. 1078.

Aymericus anno 1120. Verùm interlapſis annis aliquot, Aymericus Lemouicenſis, Antiochenus Patriarcha, & Apoſtolicæ Sedis in Oriente Legatus, inſtitutionẽ Eliç penè collapſam conſpicatus, regula Ioannis è Græco in Latinum traducta, & à multis Latinis, qui eò commigrauerant, exactiùs percepta, deiectos animos in auitam obſeruationem erigere ſtuduit: & Eremitas Carmeli ad communẽ vitç rationem Latinorum monachorum moribus conſentaneam induxit.

Refecit pius Patriarcha ſedulitate, ac auctoritate ſua Carmeli vires, vt aliquandiù vigerent: at poſt nonnullos annos, cum multa intellectu difficilia è Ioannis regula emergerent, quæ explanatione indigebant,


B. Albertus Hieroſolymorum Patriarcha An.1172.
breuiorem quandam regulam compendio, & perfectione laudatam edidit.

Ceterum Eliæ poſteritas à calore primo deferbuit, & excurſu temporis, poſtquàm fortiter egit, ab Innocentio IIII. mitigatio- An.1248.
nem impetrauit.

Nec tamen (quæ hominum imbecillitas eſt) ſatis propterea conquieuit; ſed poſt exactos annos circiter ducentos, ab Eugenio IIII. regulam rurſus leniri curauit: quę vſque ad nouiſſimam reformationem à B. Virgine Tereſia cœptam prolata eſt. An.1431.

Anno igitur milleſimo quingenteſimo An.1562.
ſexageſimo ſecundo clariſſima Virgo Tereſia regulam Alberti ab Innocentio modice temperatam, & ſub ipſo temperamento pro primitiua habitam tam cupide amplexata eſt, vt primæuam illam obſeruationē, quę Innocentij mitigationem anteceſſit, excelluerit: & ad ſui æmulationem Patres duos, & ſāctitate, & doctrina cōſpicuos, depoſita Eugenij mitigatione permulſerit: quę in hiſtorię proceſſu luculētius oſtēdemus.

Re-



Restituti Carmeli progressio, & institutum. Cap. III.

NE historiæ textum intercidere oporteat, æquum erit in hoc quasi vestibulo, instituti à B. Virgine Teresia instaurati rationẽ, ac progressionem exprimere; vt rerum exitum ab ipso lectionis exordio lector quisque perspiciat. Clementissimus ergo Deus hac ætate Virginem hãc excitauit, vt opus excelsum moliretur. Cum enim per annos plures inter moniales Carmelitanas egisset, nec illud mite viuendi genus sitim diuini amoris, quo flagrabat, explesset: grandi ausu arctiorem vitæ disciplinam adeò faustè condidit, vt non Virgines plurimas tantum, sed eximios quoque viros ad imitationem allexerit, claustro egressa multas vrbes obierit, monasteria multa construxerit, eodemq. tempore Patres illos, qui eam æmulari cœperunt, ad cœnobia plura condenda permouerit.

Fuit

Fuit autem progreſſus, Deo propitio, tantus, vt Congregatio à Sixto V. in prouincias diſtributa, & à Clemente Octauo Generalem proprium nacta fuerit, quæ poſtquàm Hiſpaniam impleuit, & ad Occidentales Indos palmites porrexit, nunc in Italia coaleſcens de Orientis, ac Septemtrionis miſſionibus ſerio cogitat.

Opportunum quippe, & ſuæ, & proximorum ſaluti profitetur inſtitutum, ex cõtemplatione actioneque pia ita permixtum, vt primam, & potiorem partem contemplatio, ſecundam, & poſteriorem actio ſibi vendicet.

Vt verò partis vtriuſque functiones perfectiùs obeat, licet vbique intactas eiuſdem regulę præſcriptiones obſeruet: ſub regula tamen eadem quaterna cœnobiorum genera diuerſis modis inſtituit. Ijs enim, qui recenter induuntur, monaſteria à ſæcularium commercio diſſita condit: ijs, qui à concionibus, prælectione, ſcriptione, alijſue laboribus interquieſcũt, alia in Eremis aſſignat: ijs, qui Philoſophię, ac Theologię

nauant operam,propria collegia tribuit: ijs qui prædicationi, ſacramentorum adminiſtrationi, alijsq. pijs erga proximos operibus inſudant, viciniora vrbibus cœnobia erigit: quæ tamen omnia in ſcopum eundem concinna varietate conſpirant.

Denique vt ſaluti eorum, qui ab Eccleſia exulant, pro virili conſulat,in Vrbe Seminarium extruit, vnde Religioſi ferventiores, doctrina, linguarum peritia, & alijs eiuſmodi dotibus inſignes,ad exteras nationes,iuxta Summi Pontificis arbitrium, pro Chriſto legatione fungantur.

Exercitia vero Congregationis, vtrique inſtituti parti, ſeu fini congruentia, hæc ſunt.

Pro contemplatione tuenda,ſolitudo,ſilentium,ieiunium,aſperitas vitę,cura receſſus adeò exacta, vt excepto Priore, Concionatore, Confeſſionario,Procuratore,ad opera neceſſaria prodeuntibus non ſolùm domo egredi, ſed neque intra Clauſtrum deambulare, nec verò niſi ſtatis horis ad chori, cœnaculi, oratorij, & aliorum loco-

rum communes actus, vel peculiaria officia cuique iniuncta obeunda, cella vnquam exire liceat.

Recessus autem minime otiosus est, regula grauiter aiente: Maneāt singuli in cellulis suis, vel iuxta eas die ac nocte, in lege Domini meditantes, & in orationibus vigilantes, nisi alijs iustis occasionibus occupentur. Oratio, quæ mentalis appellatur, & contemplationi gradum struere debet, binis quotidie horis, altera mane, altera vesperi exercetur, oratorio ad hoc opus destinato, quo Fratres vniuersi conueniunt.

Horę vero Canonicæ, quæ contemplationi mentē adaptant, ita dicuntur, vt Matutinæ, nocte media, ceteræ statutis temporibus in choro sedate, & quoad fieri potest, religiosè soluantur.

Examen conscientiæ, quo diuinæ contemplationis impedimenta depelluntur, & animus, vt niteat, & perspicacius cælestia sensa concipiat, expurgatur, bis in commune per singulos dies paulò antè prandium, & noctis somnum habetur.

Silentium, quod rebus caducis ostium oppilat, vt æternas ore clauso custodiat, religiosissimè colitur: neque enim Fratres, nisi de peculiari Superioris concessu, mutuò colloqui possunt: tantum abest, vt cum sæcularibus sine venia verba facere liceat; verum à prandio per annum integrum, & à cœna per æstatem, horam circiter vnam in loco vno Fratres comiter, ac modestè colloquuntur.

Corporis castigatio, quæ pondus carnis extenuat, vt agilius mens ad cælestia feratur, austera est: nam esus carnis, nisi morbus premat, interdicitur: ieiunium per septem continuos menses protenditur; vbi sextas anni totius ferias, & vigilias minimè recensemus.

Vestis rudis, nuditas pedum, lectulus tribus, quatuorve tabulis constructus, duabus lodicibus, & puluino laneo tantummodo stratus, terna per hebdomadas singulas verberatio, & paupertatis Apostolicæ cultura corpus animo subiugant, & ad expetenda diuinæ consuetudinis solatia, vbi tempo-

ranea desunt, acriter incendunt.

Quod verò ad piam spectat actionem, quæ posterior instituti pars est, omnibus festis per totius anni decursũ, & per Quadragesimam, iuxta patriæ morem, concio habetur, & Sacramentorum frequentia commendatur, & alitur.

Societates laicorum annexæ cœnobijs eriguntur; vbi de morum correctione, idoneo Sacramentorũ vsu, orationis exercitio, status electione, ac eiusmodi alijs admonentur, & ad Christianã perfectionẽ incitantur.

Trium autem votorum cultus accuratissimus est: obedientia quippe exiguum aquæ potum, sine Superioris expresso consensu, quasi graue piaculum horret: & in morem introductum est, vt omnes cordis latebræ Superioribus aperiantur, eorumq. consilio per omnia regi vniuersi Fratres impensè cupiant.

Castitas studiosissimè colitur, vt decet purissimæ Virginis filios: sunt enim actus Congregationis omnes ad eam perficiendam appositi.

Paupertatis Apoſtolicæ ſtudium planè mirum eſt. Nemo quippe præter lectulum, libros è communi bibliotheca de Superioris venia depromptos, Crucem ligneam, duas, vel tres imagines papyraceas, vel pomum quidem vnum habere permittitur.

Humilitas (quam Congregatio velut reginam veneratur) præter exercitia familiaria, & obſequia Fratrum alterna, ſancitur voto quarto, prælationem, vel officium intra Congregationē non ambiendi, & extra, niſi obſtringente ſummo Pontifice, non accipiendi.

Charitas demum, quæ ſtructuræ totius faſtigium eſt, multa exercitiorum æmulatione ſuccreſcit. Clementiſſimus enim Deus ad hæc omnia peragenda cæleſtis gratiæ vim abunde largitur: quam ad gloriam immortalem ſuam, & animarum ſalutem, hac potiſſimùm tempeſtate perficiat.

Inſtitutum hoc leuiter à nobis adumbratū (quod exceptis functionibus, & ritibus, quos femineus ſexus excludit, à Monialibus æquè colitur) B. Virgini Tereſiæ

acceptum referendum eſt. Sed iam Deo propitio hiſtoriam auſpicemur.

Patria, Parentes, & Natalis B. Virginis Tereſiæ. Cap. IV.



BVLA nobilis admodum, & perantiqua Hiſpaniæ ciuitas, in vetere Caſtella inter vrbes multas facilè clariſſima, in paternis ædibus, è regione monaſterij S. Dominici olim extructis, B. Virginem Tereſiam, inſigne ſuę laudis ornamentum edidit: licet enim ſtrenuos, ac ſapientes viros quondam protulerit, minus tamen eſt, quod multorum fortitudo, vel doctrina parauit, quàm quod vniuerſi mundi contemptu, mulier vna ſubegit.

Excæcato ergo denſis peccatorum tenebris ſæculo, anno à Virginis partu 1515. quintoq. kal. Aprilis Ioanna Caroli Quinti parente in Caſtella regnante, ſed pro ea Catholico Rege Ferdinando eius patre, re-

Sub Leone X. Pontifice Max. & Imp. Maximiliano. 28. Martij.

gnum administrante, B. Virgo Teresia natali felicissimo orbi terrarum affulsit.

Diuino prorsus consilio imminenti Ecclesiæ malo prouisum est: biennio quippe, antequam scelestissimus Lutherus, armatis perfidia militibus in Ecclesiam rebellaret, is in lucem partus editus fuit, qui lectiora, quàm hostis ille, agmina pro Christianæ Reip. tutamento posset instituere.

Virginis Pater Alphonsus Sancez de Cepeda, Mater D. Beatrix de Ahumada, & genere, & moribus ingenui, inter octo, seu nouem liberos Teresiam natu tertiam, cælesti dono procrearunt.

Generis verò claritatem à parentibus acceptam, nobilissima Virgo tam insigniter auxit, quàm imperiosè despexit: quod vt se meliore consilio fecisse demonstraret, natiuum cognomen clariore Iesu cognomento permutauit, vt non iam D. Teresia de Ahumada, sed Teresia à Iesu nuncuparetur, ex eo sanguine ingenuitatem altiorem acceptura, quo nouerat se fuisse redemptam.

Pue-

Pueritia, & Educatio B. Virginis Teresiæ. Cap. V.



OS Dei plane ſuauiſſimus eſt, rebus, quas in ſe ipſum quemque collimat, cauſas, & inſtrumenta opportuna prouidere, quibus eo pertingãt. Quapropter cum ad eximiam ſanctitatem Virginẽ hanc prouehere decreuiſſet, parentes eius Chriſtianis moribus expoliuit; quos in filiam velut hereditario iure deriuarent.

Mater honeſtate plurimum enituit: nam cum egregia forma præſtaret, & ætate iunior eſſet (anno enim trigeſimo tertio interijt) nec pulchritudo, nec ætatis feruor, nec vero nobilitas animum extulit, vt ſibi multum tribueret; ſed tamquam ætate prouectior, matura videlicet mente ſe modeſtiſſimè geſſit.

Pater pari honeſti laude reſplenduit: & cum pijs libris deditiſſimus eſſet, tenellam Virginem (quemadmodum & liberos

alios) ſimili ſtudio vehementer addixit: quo certè conſilio ſeptennem puellam clementiſſimus Deus ad ſe allicere cœpit.

Erat ei tunc frater germanus, Rodericus de Cepedà, natu propemodum par, ceteris charior (qui poſtea militum ductor apud Indos Occidentales obijt) Hic vna cum ſorore piorum librorum lectioni impenſiùs vacabat, fructumque ætate maiorem vterque referebat. Nam cum hiſtorias martyrum, & felicem exitum attentius lectitarent, exiguum ſanè cruciatum, ampliſſima verò præmia, diuino iam lumine perfuſi cenſebant. Quamobrem ea bona ſummis laboribus parare non tantùm optarunt, verùm pro captu ſuo ſe ad opus accinxerunt.

Condicta quippe die, clam patre, viaticum tenuiſſimum aſportantes, & Mahometanorum regna petere, vt pro Chriſto capite plecterentur, impenſiùs, quàm dici poſſit, cupientes, domo, ac vrbe exceſſerunt. Pergebant alacriter tenelli milites, grauiora certamina, quàm ferret ætas, auſu

gran-

grandi cogitantes. Grande cœptum vrgebant, nemine multiplices animorum motus reprimente. Verùm ecce inopinatus, triſtiſque remorator. Patruus quippe quidam ſuus fortuitò eis obuius, rem demiratus, viam carpentes intercipit: domumque non abſque ipſorum mæſtitia, ſed cum ſingulari ſollicitæ matris gratulatione reducit. Meritò hic futuræ virtutis indicio planè maximo acclamandum eſſet.

Id autem, quo acerrimè ad hæc ſtudia incitabantur, æternitatis cogitatio erat; quæ puerorum inertiæ, ac teneriori naturæ immenſum calcar adegit. Iam enim Apoſtoli ſenſum compendiò nacti fuerant, vt labores leues, ac momentaneos æterno gloriæ ponderi poſthaberent.

At enim, cum res eis non pro voto ſuccederent, vim animorum, maiora, ſed vetita molientium, ad breuiora pietatis exercitia, quæ non prohibentur, reflexere. Eremiticas enim cellas, puerili certè ſchemate, ſed cano ſenſu in hortis paternis conſtruere cœperunt, Deo firmiora ædificia porten-

dente, quæ à Virgine poſtmodum eſſent extruenda. Verùm cellulis eremiticis ad ſolitudinis otium non ſatis aptatis, ſed vel motu leui dirutis, aut inter manus ſponte ruentibus, animi Deo vacandi iam inde cupidiſſimi, & quo ſe vertere neſcientes æſtuabant. Proderant tñ ea cellarum ſimulachra ad concepta deſideria tuenda; his enim & aliis caloris interni fomentis in res diuinas Beatiſſimæ Virginis, & Sanctorum cultum, affectus alebatur. Inter omnia verò pietatis incitamenta, Samaritanæ imagine, ac verbis illis (Domine da mihi aquam) mirificè puella capiebatur, & ea creberrimè repetebat, vnde fructum vberrimum reportabat.

Eleemoſynas, quàm largè poterat, erogabat, & exercitijs ad pietatem excolendã exquiſitis intenta, morum ſuauitate ſimul, & ætate ad annum duodecimum adoleuit: vbi D. Beatrix eius mater è vita migrauit.

Perculit Virginem parentis præmatura mors, & anxia dolore coram Beatiſſimæ Virginis imagine, quaſi meliorem paren-

tem

tem ſortitura, multa lachrymarum vi adoptionẽ poſtulauit. Res ceſſit ex voto, quod in præſentiſſima tantę Matris ope, qua Cõgregationem condere potuit, orbis vniuerſus agnouit.

In deteriora ſenſim labitur, ſed a Deo eripitur. Cap. VI.



AEVISSIMVS noſtræ ſalutis hoſtis indolem Virginis contemplatus, & ſua dãna præſagiens, cœptam Tereſiæ pietatem, maximarum virtutum notis illuſtrem peruertere cogitauit.

Erat nimirum illa ingenio perſpicax, prudens, magnanima, conſtans, quæ ſi ſemel virtutum radices altè defigere ſineretur, ingentem cladem hoſti allatura, Deo ſummam gloriam eſſet paratura.

Quamobrem duobus illam incitamentis euertere tentauit, vt natiuis animi dotibus abuteretur.

Alterum, vanissima equestrium librorũ lectio fuit, quæ in ędes honestiores, quò impudicitia penetrare nequit, solet irrepere, ac animos benè temperatos ad interitum pertrahere. Adeò verò lectioni huic, vnà cum Roderico se dedidit, vt sermonis proprietates, ac tropos breui, sed longa cum temporis iactura perdiscens, eius generis librum elaborauerit; quo tam insolito fœminæ labore multorum linguas excitauit.

Hinc ea damna familiarissima, vestis pretiosior, odoramenta, capillorum cura, manuum nitor, formæ ostentatio. Non tamen eo prorupit, vt ab aliquo turpiter amari vellet, vel culpam, quam quidem ipsa depræhenderet, palàm admitteret: sic enim præseruanda erat, quæ sanctitatis exemplar erat præbitura.

Alterum irritamentum, consanguineorum domum ex more ingredientium consuetudo fuit: cum enim essent ætate pares, & vanitate sæculi tacti, ipsismet verbis, quę diutissimè producebant, Virginem à rebus melioribus diuertentes, periculum non leue

crea-

creabant. Verùm peiora imminebant à puella quadam ſanguine coniuncta, non vſque adeò cordata, quæ Virginē quatuordecim tunc annos agentem, à primæua pietate abducere conata eſt.

Hinc Dei timoris obliuio, vani affectus, & aliorum nimia familiaritas, quamuis (quod ipſa ſcripto conſignauit) numquam graue malum appetierit. Clementiſſimus enim Deus, ne contagio vllo ſacrarium illud ſuū pollueretur, armatura duplici, hoc eſt natiuo libidinis odio, & honoris amore Virginem ſepſit, vt omnes vitiorum ictus eliderent.

Omnem videlicet turpitudinem auerſabatur, licet comitate multa, & verborum dulcedine, quos alloquebatur, alliceret: honoris verò ſtudium, & cuiuſuis in eo genere iacturę timor illam dire torquebat.

Etſi verò ſubtiliore polleret ingenio, quo ſuſpicionem quamlibet prę̨cauere poſſet, Deo ſic agente, Patri (quæ illius ſolertia erat) nonnulla leuitatis ſuſpicio ſuborta fuit.

Hic

Hic dæmon gestiebat: sed præda, quam sperabat, confestim euanuit. Exactis enim ea leuitate tribus dumtaxat mensibus, in monasterium, vbi puellæ ingenuæ educabantur, se recipit: & viribus animi resumptis, non solum modicam eam vanitatem, quam è sęculo hauserat, execrata, sed religionis amore, quem exuerat, affecta fuit, & internis exercitijs (quamuis, & cogitationibus importunis, & donis extrinsecus missis tentaretur) se deuouit: quousque graui morbo intercepta, domum paternam repetiuit.

Appellabatur D. nostra de gratia ex ordine S. Augustini.

Induitur veste Beatissimæ Virginis de monte Carmelo, & profitetur. Cap. VII.



POSTQVAM è morbo conualuit, cum in oppidulum, vbi morabatur eius soror D. Maria de Cepeda, deduceretur, obiter patruum quendam suū, in oppido, cui nomē Hortigosa, quod duodecim milliaria ab vrbe Abulensi dissitum

est,

eſt, inuiſit: & librorum piorum lectionem, non tam ſibi, quàm patruo audienti, qui eo ſtudio magnopere delectabatur, gratificatura frequentauit.

Hoc autem ſaluberrimo exercitio veritatem illam in pueritia conceptam aliquandiu intermiſſam, penitiùs intellexit, omnia videlicet mundi bona ocyùs euaneſcere, æterna permanere: & per menſes tres luctata ſecùm, ſtatum Religioſum, quem nunquam ſeriò ſibi perſuaſerat, arripere decreuit.

Hac verò ratione ſibi potiſſimùm imperabat, ſtatus nempe illius labores igne purgatorio non eſſe acriores, ac propterea leniter ſecùm agi, quæ tartarum commeruiſſet, ſi leuiores illos agones hac in vita perferret.

Cœpit ergo patrem ſuum, pro explendo deſiderio, interdum vrgere: à quo cum inter liberos omnes tenerrimè amaretur, nihil impetrare potuit. Quod vt illa perſpexit, mundi deliramentum experta, & ante actæ leuitatis memor, rem aggredi (vt quæ magnanimitate ad res arduas obeundas

prædita erat) patre relicto cogitauit.

Die igitur quadam ſummo mane, nemine conſcio, præter Antonium de Ahumada eius fratrem germanum, in fuga comitem, domo erupit; & in monaſterium Incarnationis, quod Abulæ inclytum, & Beatę Virgini de monte Carmelo ſacrum eſt, ſe conſtantiſſimè abdidit.

4. Non. Noueb. 1533.

Rem profectò grandem adorta eſt: nã præter contemptionem honoris, opulentię, voluptatumque, quibus certè bonis in ſæculo largè frui poterat, in ipſomet egreſſu incredibilem animi dolorem, ac eam ſenſus pugnam perſenſit, vt ſingula corporis oſſa eluxari, ac membra diſſolui viderentur.

At cordis generoſitas ea fuit, vt hilari vultu, & ſuauiſſima comitate ſpectantibus imponeret: nihil enim niſi vehemens ſacræ veſtis deſiderium, Virgines illę, quarum captabat ſocietatem, ſuſpicari potuerunt.

Extemplò verò (quæ Dei hauſto labore ſolantis conſuetudo eſt) penitiſſima lætitia, ob ſtatum ſelectum, mundique neglectum, ſic affecta fuit, vt in poſterum per totius

vitæ decursum, nullum passa fuerit decrementum.

Veste sacra suscepta, miris virtutum incrementis cœpit adolescere, ac futuræ sanctitatis signa præferre. Vbi silentio minimè celandum, quod eo tempore Virgines illæ dictitabant: Ante multos scilicet annos Aquilegem quendam (genus hominum est, qui loca subterranea visus perspicacitate penetrant) thesauros exploraturum eò venisse, ac meliorem thesaurum vaticinatū fuisse: fore nimirum in eo Monasterio Monialem planè sanctam, nomine Teresiam: quod rei probauit euentus. Alij prophetiam cuidam moniali, quæ Monasterio recenter cōdito claruit, tribuebant: quod ego verius existimo.

Annum ergo illum B. Virgo Teresia multis morbis obnoxia, sed inuicto animo alacris exegit, & quamuis aduentante professionis emittendæ die, ac in ipso propemodùm actu solemni, molestissimis tentationibus infestaretur, fortissimè præualuit, ac se ipsam deuouit.

Morbis diu obsidetur: sanitati restituitur: primæuam leuitatem repetit: orandi studium intermittit: postea resumit.

Cap. VIII.



XCREVERE morbi, syncope, comitialis, alijque plures, qui sensu sæpe intercepto illā diuexabant. Et cum Abulenses Medici Virgini remedium afferre nequirent, exit è claustro vnà cum moniali altera ei familiarissima, & in oppidum (cui nomen Becedas) vbi mulier quædam morborum curatione celebrabatur, ægra deducitur.

Exijt hyemis initio, & vsque ad Ver nouum, curatione dilata, in oppidum obuium vbi D. Maria de Cepèda eius soror agebat, grauiter affecta concessit. Extulerat secum tertium Osunnæ Abecedarium, pium scilicet librum, à patruo sibi traditum, quo per id tempus, quod in oppido sororis exegit,

vsa,

vſa, cæleſti orationis dono, ſublimiùs, quàm ipſa tunc intelligeret, aucta fuit: pertigit enim ad excelſos quietis & vnionis gradus ab ipſa poſtmodùm diſertè deſcriptos.

Poſt menſes tres apud mulierem illam, curata quidem, ſed ſanitatem adepta non fuit, & imbecilli corpore acrioribus medicamentis læſo, infirmior, quàm acceſſerat, domum paternam repetiuit: vbi ſalute à Medicis Vrbis deſperata, hecticæ febri obnoxia iudicata eſt.

Feſtiuiſſimo verò die, qui Auguſto Mēſe Aſſumptioni dicatus eſt, ſpaſmo quodam immani, & in quatriduum protracto correpta, & extrema vnctione ad obitum delibuta eſt. Iam ſepulchrū in Monaſterio fuerat effoſſum: iam Moniales aliquot feretrum comitaturæ venerant.

Monaſteriū Incarnationis.

Et quidem niſi Virginis pater, qui pulſum (cuius erat peritiſſimus) explorauerat, obſtitiſſet, aiens; filia hæc mea non ſic affecta eſt, vt ſepelienda ſit, tumulata proculdubio fuiſſet.

Sed elapſo quatriduo, euigilauit: queſta

est, quod fuisset excitata: se in cælis egisse, tartarum quoque vidisse, aliaque planè mira protulit, quibus à viris grauissimis fides habetur. Cum enim doctissimus P.Fr. Dominicus Bannes, Ordinis Prædicatorũ, qui primę Theologorum cathedræ Salmanticę præsidebat, die quodam festo apud P.P. Carmelitas Discalceatos concionaretur, illo quatriduo B. Virgini Teresiæ ostensum tartarum asseruit. Visum quoque hoc grauissimus Pater F. Didacus Iepes, Hieronymianus Episcopus Turiasonensis, qui Philippo secundo Hispaniæ Regi fuit à sacris confessionibus in vita B. Virginis Teresiæ, quam Hispanicè conscripsit, rei benè conscius sua auctoritate confirmat.

Anno 1587.

Experrecta ergo Teresia, pœnitentiæ, ac Eucharistiæ sacramenta vberrimo cum fletu recepit: & vsque ad Pascha doloribus acerrimis patienter exanthlatis, in paternis ædibus permansit.

Institit valde, vt iam ad Monasterium referretur: vbi contracta, grauiusq. quàm exprimi possit excruciata, octo mensibus ia-

cuit; ſed morbus annos tres perdurauit: quibus nihil æquè iucundum, ac Dei ſermo, pia lectio, ſacræ confeſsiones, & panis Euchariſticus accidit. Si quam verò culpam leuē admiſiſſet, orationem, non metu pœnæ, ſed ingenua quadam verecundia ex acceptis beneficijs orta (etſi conſilio minùs bono) refugere conſueuit.

Poſt annorum autem trium excurſum, ope Sanctiſſimi Patris Noſtri Ioſeph, cui erat addictiſſima, à membrorum contractione ſoluta, cœpit incedere.

Hoſtis verò tantæ laudis impatiens, primæ leuitatis experimento audax, aliam in abditiore loco, nocendi artem inuènit. Multi quippe, per id tempus, in Monaſterium ventitabant, quos B. Virgo Tereſia (vt erat ſermone lepidiſſima, & actione venuſtiſſima) præſertim alliciebat; & pro gratitudine, & comitate natiua (licet non turpiter) redamabat.

His laqueis illam hoſtis inuidentiſſimus adeò compediuit, vt orandi exercitium intermitteret, indignitatis colore prætenſo:

nefas enim ei videbatur, ad Christum accedere, quæ ab hominibus non longè recederet: præterquàm quod alias de quarum moribus benè opinabatur, id efficere cernebat, & nonnulli minùs sapientes Confessarij res leues non vsque adeò improbabant.

Perrexit ergo cœptis insistere, quæ periculo minimè vacabant. Quod cum illa neutiquàm pertimesceret, sæpe indè damna referebat: tametsi non eò accederet, vt grauiter erraret, ex præsentissima Dei tutela, qua vel in parùm laudata consuetudine non caruit.

Sub initium enim sermonis cuiusdã, colloquijve familiaris, quod inter omnia maximè nocuit, vidit internis oculis Christum grauissima specie, quantoperè ille sermo displiceret, ostendentem: quem & columnæ religatum, spectaculo ad cor emolliendum opportuno, nudum brachium laniatum exhibentem ibidem aspexit.

Hac fidissima custodia præseruabatur, etsi humanæ cõsuetudinis laqueis obligata, non se facile ab occasionibus expediret. An-

no tamen ab intermiſſo orādi ſtudio perlapſo, P. Fr. Vincentij Varroni Dominicani, pręlectoris Theologi, qui ei erat à ſacris confeſſionibus, conſilio permota, ſtudium illud reſumpſit.

Hoc igitur more, per annos ferè viginti, leues interdùm culpas admittens, crebriùs autem inculpatiſſimè agens, modò arēs, modò ſolatijs perfuſa diuinis, vitam contexuit.

Illud tamen oculatè diſpiciendum, nihil hic turpe, ſeu graue commiſſum, & paucisſimos dies intercalatos, quibus non longisſimè oraret.

Seria B. Virginis Tereſiæ conuerſio.
Cap. IX.



RATORIVM aliquando, ex more ingreſſa, & imaginem Chriſti ſauciati conſpicata, vehemēter ſtatim commota fuit: cœpitque intentiùs meditari, quàm parùm grata tot vulneribus, cauſa ſuę ſalutis acceptis, extitiſſet: vbi dolor tan-

topere inualuit, vt cor intimi ſenſus ictibus ſcindi videretur.

Hoc acerrimo doloris ſenſu tacta, ad imaginis pedes ſe prouoluit, & vim lachrymarum effudit, illud teſtata, ſe indè non ſurrecturam, quouſque robur, ne in culpam relaberetur, impetraret; nec incaſsùm: deinceps enim, mirabilibus augmentis virtutum increuit, nec præteritis lapſibus; quos potiſsimùm exhorruit, ſimile quidquam admiſit.

Profuit impendiò dulcíſsimus ille confeſſionum S. Auguſtini liber, quo tunc vtebatur: cum enim peruenit ad vocem, quam ille, dum in horto iaceret, audiuit, eandem audire ſibi viſa eſt: quod immenſa cordis motio, & fletus impotens aſtruxère.

Hinc ad ſublimiorem ſanctitatem ſtudioſiùs exquirendam incenſa eſt: quod certè ſingulare bonum, ſe Beatiſsimæ Virginis, ac Sanctiſſ. Ioſeph precibus (quemadmodum & reliqua omnia) obtinuiſſe peculiari reuelatione, quam ſcripto prodidit, accepit.

Inter alia verò cæleſtia dona, meritò re-

fertur

fertur timor quidam ingenuus, ne videlicet orationis gaudia,& animi ſuſpenſio, dæmonis impoſturæ forent, ac indè hoſtis ille ab ſerio, vtiliq́ue orandi ſtudio vellet eam dimouere.

Torſit illam diu, grauiterq́ue ſalutaris hic timor,nec requieſcere poſſe ſibi viſa eſt, niſi cum reiconſultis de illo conferret. Egit ergo cum viro vitæ ſanctitate claro Franciſco Salzedo (qui tametſi coniugatus,rebus diuinis deditiſſimus erat) vt Patrem quendam Theologum ſanctitate inſignem, eade reconueniret. Sed ille vnà cum Franciſco ipſo,re altè perpenſa, cenſuit deluſam eſſe, parumq́ue tempeſtiuè Virginem cœpit nimis vrgere, & à nonnullis leuiſſimis rebus, quæ cum diuina conſuetudine, cohærere non videbantur, tamquàm violenter auellere.

Temperandus rigor erat: quamobrèm ſalubriore conſilio cenſores ipſi monuerũt, vt cum Patrè quodam rerum perito è Societate Ieſu rem totam communicaret. Obtemperauit è veſtigio, & eum oſtendit, qui

animo nimium affecto mederi nosset. Meditationē humanitatis Christi impensè commendauit: sed gustum, quem orando hauriebat, respuere præcepit, donec aliud iniungeret: & ad vitæ austeritatem, quam illucusq. Virgo morbis vexata, parùm exercuerat, hortatus est.

In eo vero Patris illius prudentia præsertim enituit, quod non confestim Virginem seueris legibus obstrinxit: sed cunctatus Dei opus obseruauit, natiuos mores inspexit, & sensim, præeunte Deo, ad ulteriora promouit.

Patuit autem primos illos censores, licèt animo candido, minùs benè iudicasse.

P. Franciscus Borgia Societatis Iesu Generalis, spiritum B. Virg. Teresiæ probat. Cap. X.

PATER Franciscus Borgia, Societatis Iesu Generalis mundi cōtemptu, & rerum diuinarum experimento conspicuus, Abulam venit: Virginisq. Confessarius censuit,

cum viro conſultiſſimo rem conferri oportere. Accurrit illa, omniáque, vt erat veritatis ſtudioſiſſima, retulit. P. verò Franciſcus ingenuè reſpondit, diuini ſpiritus opus proculdubio eſſe: ne deinceps reſiſteret: ſed à Chriſti paſſione orationem auſpicaretur: quod ſi ad altiora ſubleuaretur, duci ſe ſineret. Quo certè reſponſo mirum in modum recreata fuit.

Sub id tempus eius Confeſſarius Abula diſceſſit, quod eam non parùm afflixit ratam, vix alium ex ſententia ſucceſſurum. Affuit tamen alius ex eadem ſocietate: qui cum animaduerteret. B. Virginem Tereſiam pro ingenij nobilitate, ijs, à quibus diligebatur, amicitiæ profeſſione, vicem rependere, quæ affectū erga diuina diminuere poſſet; ſuadere cœpit, ijs neceſſitudinibus nuntium remitteret.

Res ſubauſtèra viſa eſt, obtendebat enim ingratitudinem: at Pater ille orandum dixit, & Spiritus ſancti hymnum, per dies aliquot, ad lucem impetrandam iniunxit.

Auidè rem aggreſſa eſt: & die quadam,

cùm pro re lõgiùs orasset, subitaneo raptu, quem vsque ad id tempus experta non fuerat, propè sensibus alienata in animæ centro audiuit verba hæc: (Nolo iam cum hominibus, sed cum Angelis familiariter verseris.) Quæ sanè verba cordi Virginis robur tantum indiderunt, vt, quod annis plurimis, nauitate multa, consilijs opportunis nequiuerat, momento vno peregerit.

Hinc Clementissimus Deus eam alloqui cœpit, & creberrimè consueuit.

Non tamen propterea inducias cum hoste pepigit: Ecce quippe sex viri pietate illustres, re vltrò citroq. versata, Virginem delusam esse consentiunt. Confessarium admonent, qui Deo sic prouidente, ad animi illius generosissimi examen illis censoribus velut acquieuit.

Decernitur, ne sacram synaxim tam sæpe sumat: solitudinem vitet: quæ sanè præcepta, comitialem morbum, & timorem, quo satis ipsa premebatur, nimis auxerunt: maleq. habita, sub onere grauissimi mœroris è collegio S. Aegidij, dimissa fuit.

Inter-

Interdicto igitur hominũ ſolatio, in orationem vehementer incubuit: & die quadã huius orbitatis, poſt exactas quatuor mœroris horas, ſic Deus Clementiſſimus illam affatus eſt: (Ne timeas filia, ego ſum, non te derelinquam.) Verba hæc, momẽto vno, caliginem omnem diſcuſſerunt, animũ innumeris motibus agitatum ſedarunt, ſerenitatem cæleſtem, ac ſecuritatem inuexerunt, vt dæmonis imposturam ſibi perſuadere nõ valeret, quamuis totius orbis cenſores in ſententiam aduerſam conſpirarent.

Eliquabatur dulciſsimis lachrymis, & mutatum repentè cor ad cæleſtem pacem admirabatur.

Arripuit crucem fortiſsimo iam corde munita, & agmina dæmonũ laceſſebat aiẽs: Congredimini nunc omnes; experiri volo, an mihi potẽtiſsimi Dei famulæ nocere poſſitis. Ex quo excelſum dæmonum contemptum nacta eſt, vt, etſi eos nonnumquam videret, pro nihilo duceret, nulloque metu vexaretur: quod illa inter ſumma Dei beneficia poſuit.

Multis iam reuelationibus illuſtrabatur, & multa virtutum lucra parabat, quæ ipſa, proprio tractatu digeſsit. At nō defuere importuna prælia multorum, in ſpeciem prudentum, qui maiore ſynceritate, quàm ſapientia impoſturam ei obiectarent.

Quin etiam & ipſi Confeſſario moleſtè inſtiterunt, caueret mulierem illam ſeductam, leuiſsimasq́. rationes grauiter exaggerantes, quidquid à pia Virgine ſyncerè factum ſiniſtra interpretatione vitiarunt.

Tres hac infeſtatione anni fluxerunt: nec defuere, qui velut à dæmone obſeſſam adiurare cogitarent.

Illud verò inter omnia B. Virginem diriſsimè torquebat, quod viri ſanctitate inſignes rem hanc malè interpretarentur: at omnia vicit, omnes aduerſitates excelſo corde deſpexit.

Vt Confeßarijs obtemperet, diuinis fauoribus reluctatur. Cap. XI.



N medijs tot insectatorum incursibus. Clemētissimus Deus internis blandimentis Virginē solabatur: cui amanter illa, vt mœrorem exhalaret, de obiectis calumnijs conqueri solebat, semperque ab oratione validior exibat.

Nemini, præterquàm Confessario P.M. Balthàsari Alùarez è Societate Iesu Collegij S. Aegidij Rectori viro diuinarum affectionum perito, ac planè prudenti, qui ei plurimùm profuit, mæstitiæ sensum aperiebat: quem licèt tetricus esset, amabat.

Cum verò cælestium visionum sublimitas in dies augesceret, Confessarius quidam, qui P. Balthàsare impedito, Virginem interdùm audiebat, nescio, qua mente, apertè dixit, eam esse seductam: quamobrem, quoties quempiam sibi apparentem videret, ei illuderet, & se crucis signo muniret.

Acre nimis præceptum, quo velut iaculo traiecta fuit: cum enim Deo iam à viris prudentiſsimis res tota tributa fuiſſet, repẽtinum hoc telum illam acerbè ſauciauit. Et tamen fideliſsimè paruit: etſi enim, interim dum ſacra viſa cernebat, nihil ambigere poſſet; ſimul tamen à Chriſto viſo veniam poſtulabat, & crucis ſignum effingebat: quod cum præ laſsitudine tamdiù nequiret, acceptam crucem manu oſtendere conſueuit, tanta fuit obedientiæ Religio.

Quapropter amãtiſsimus Ieſus Chriſtus, qui, præ victimis, obedientiam probat, ereptam aliquando manibus crucem, quatuor prægrandibus gemmis conſtructam reſtituit: quo ſingulari dono diutiſsimè perfruita fuit: non enim primam crucis materiam, ſed quam Chriſtus formam induxit, impoſterùm vidit, tametſi ab alijs minimè conſpiceretur: quale quiddam SS. Ceciliæ, Gertrudæ, Catharinæ Senenſi, & alijs eueniſſe, memoriæ proditum eſt.

Frequentiora ergo, & altiora ſpectacula cor Virginis iam oblectabant: & Chriſti in

visu quodam promissio suberat, fore, vt rei veritas patesceret,& qui malè opinabantur, resipiscerent. Et quidem cælestia visa, & promissa eam voluptatem pariebant, quæ omnem orbis terrarum eloquentiam facilè vincat: tantum abest, vt historiæ compendio illa complecti liceat: nec enim,vel vnũ è diuinis blandimentis Oratores disertissimi assequi possent: quod è subiecto patebit exemplo.

Cum Clementissimus Deus pollicitus fuisset veritatem detectum iri, cor Virginis amore vehementissimo inflammauit, vt ei sæpiùs anima diuelli videretur. Aestuabat, & præ sponsi desiderio,paulò minùs interibat: sauciauerat quippe illam grauissimo, sed dulcissimo amoris vulnere, quo carere timebat.

Repetebat crebrò illud Regij Prophetę votum ardentissimum.

> Quemadmodùm desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Psal. 41.

Hinc subiti raptus in ipsa hominum,çum

quibus agebat, frequentia, quibus, etſi validè conaretur, reniti nequibat: Deo ſic prouidente, vt veritas inciperet eluceſcere.

Vnum inter multa laudatiſsimũ, & ſuauiſsimum reticere nõ licet: vidit ſæpe iuxta ſe ad ſiniſtrum latus Angelum ſtatura breuem, forma elegantiſsimum, igneo aſpectu flagrantem, quem ab ardore Seraphim exiſtimauit. ferebat ille manu iaculum aureũ, è cuius ſpiculo ſummo (vt apparebat) ignis eminebat modicus.

Hoc ergo cæleſti iaculo cor Virginis tã fortiter vulnerabat, vt hærentia ſpiculo viſcerum fruſta extrahere viderètur. Dolor acerrimus erat; vt ſubtiles quoſdam gemitus eius indices ederet, cum vires ad clamorem deficerent: nec tamen dolore carere, vllo pacto cupiebat: erat enim ineffabili oblectamento permixtus.

Vulnera hæc vniuerſis mũdi honoribus, opibus, ac voluptatibus meliora, incredibile amoris incendium excitarunt: vt ex abſentia Chriſti, longo charitatis martyrio torqueretur.

P. F.

P. F. Petro de Alcàntara rerum ratio nem exponit, & probatur: grauiterq. tentatur. Cap. XII.



ISA illa dolorem acerbissimum, & suauissimam voluptatẽ pariter suggerentia, Virginis animum angebãt: nesciebat quippe quo pacto duæ illæ contrariæ affectiones ab radice vna prodire valerent: prçterquàm quod non à quouis Theologo res tam sublimes capiebantur, vt anxiam sedare posset.

Tunc opportuna Dei prouidentia, P. F. Petrus de Alcàntara Fratrum Discalceatorum S. Francisci Commissarius, vitæ sanctitate, ac internarum affectionum experimento clarissimus Abulam venit; qui res altè perceptas tam seriò probauit, vt præter Fidei Catholicæ asserta, nihil sibi certius, quã Virginem Teresiam, à Spiritu sancto duci asseueraret: quod hominis modestissimi elogium, meritò viris sapientibus notatu dignissimum videatur, necesse est.

Cælesti sapientia sua Pater ille mœrorem dissipauit, asseruitque ad B. Virginis Teresiæ encomium, vnum è summis totius vitæ laboribus ab ea, dum à censoribus exerceretur, fuisse perlatum: Patremq. Balthasarem Aluarez alloquutus, omnem ab eo scrupulum abegit.

Verùm quod animi timorati argumentum, & experimentum fuit, etsi à viro tanto testimonium omni exceptione maius accepisset, molestissimo timore identidèm sic vexata fuit, vt per hebdomadas integras, anxietatis pressura, velut, præfocari videretur; & (quod remedium superesse videbatur) si ad angorem eleuandum Confessarios conuenisset, acrioribus verbis excepta, & seueriùs dimissa rediret: quod illi secreto Dei consilio acti (non enim id ex animo agerent) se effecisse mirabantur.

Oportebat sanè, quæ alijs patientiam, & fortitudinem præceptura erat, tot prœlijs impeti, & ad mortem vsque infestari: hoc tamẽ exercitio illud agebatur, vt inuicti animi sanctitas multis ictibus tẽtata splẽdèret.

Ve-

Vexatio nimirũ vrgebat, vt viros ſapientiſſimos conſilij gratia perquireret: qui audita dona facile diuina, quæ Virgo exponebat, demirati, alijs euulgabant, vt Tereſiæ nomen multa regna peruaderet.

Occaſio prima, vt ageretur de Monaſterio primo condendo: quod à Deo ſæpe iuſſum: ſed multa aduerſitates obſtãt. Cap. XIII.



CVM affectionibus iam diuinis illuſtris in leniore illo Incarnationis Monaſterio B. Virg. Tereſia ſibi minimè ſatisfaceret, oblatam auſterioris diſcidiſciplinæ occaſionem ſic arripuit.

Erat ei neptis, quam ſemper amauit impensè, D. Maria de Ocampo (quæ poſteà inter Diſcalceatas Monaſterio Valliſoleti cùm laude præfuit) quæ tunc corporis cultui, & formæ oſtentationi artificioſiſsimè ſtudebat, tametſi intra clauſtrum illud, educationis cauſa, maneret.

Nocte

Nocte igitur quadam cùm hæc, & Ioanna Soaria Virginis amicissima simul agerẽt, B. Virgo Teresia inopina, & quasi iocans, cœpit lepidè, vt solebat, statum illum præsentem improbare, prætexens numerosum esse Monasterium, ac proindè molestum. Extemplò D. Maria de Ocampo: Recedamus ergo quotquot hic existimus, & eremitarum more, aliud vitæ genus abstractius ineamus.

Nec incassùm id extulit: Hinc enim in noctem totam sermo productus, & seriò de votis illis explendis actum est. Pollicita est D. Maria mille aureos, quod ipsi summoperè placuit: optabat quippe grandia adoriri: quod certè desiderium hauserat è terribili quodam visu, vbi cruciatus æternus, si leuitatem primæuam prosequuta fuisset, inferendus eam exterruerat.

Legatur 32 c in B. Vir. Teresiæ vita.

Cum ergo à sempiterno dolore præseruata, quippiam Dei clementiæ non prorsùs indignum moliri cuperet, nouum arctioris vitæ propositum mente pertractabat, & fouebat. Eo verò tempore familiaris quædam

&

& ingenua mulier D. Guiomàr Virginem inuisit, quam sic experiri cœpit: Nuper (inquit) Iuuenes hæ (aderant enim duæ illæ) de arctiore Monasterio cōstruendo agebāt. Excepit hoc illa satis cupidè, instititq. vt extrueretur, & assignandorum reddituum modum exposuit.

Optabat hoc impensè B. Virg. Teresia, tametsi Monasterium Incarnationis non displiceret. Conuènit ergo inter illas, vt Deo preces offerrent: pauloq. pòst, Eucharistia percepta, Christus Virgini iussit, rem totis viribus obiret, Monasterium Sanctiss. Ioseph nomine insigniret, pollicitus rem pro voto successuram, se cum sacris Virginibus intra claustrum versaturū, Cæli Reginam vni, Ioseph alteri Ianuæ præfuturum, Monasterium velut stellam splendore conspicuum orbi lucem allaturum. Præcepit etiam, vt Confessario visa referret.

Vim concepit inuictam. sed cum aduersitates sequituras Virgo prospiceret, ægrè ferebat, pace, qua fruebatur, exclusa, se mundi fluctibus committere.

Defert rem ad P. Balthàſarem Aluarez è Societate Ieſu, qui cũ eſſet prudẽs, noluit acriter reſpuere, tametſi exitu carituram exiſtimaret. Monuit tamen, vt Prouincialem ſuum P.F. Angelum de Salazar, Virum laudatum conſuleret: quod, vbi per D. Guiomàr factum eſt, Prouincialis pro inſigni pietate ſua, propoſitum commendauit, opẽ tulit, ſe Monaſterium admiſſurũ promiſit.

Ante hanc verò Prouincialis facilitatem B. Virgo Tereſia integerrimo P.F. Petro de Alcàntara Franciſcano rem ſcripto trãſmiſerat, qui eam validè confirmauit, & Epiſcopum Vrbis admonuit.

Principia tamen non malè fulta dæmon horruit, & Vrbem totam ad maledicentiã, & deriſum adeò excitauit, vt cum manè Natalis Chriſti D. Guiomar Confeſſarium adijſſet, ab eo, velut abſolutione indigna, repelleretur.

Viſum eſt hominum auctoritate, ad hominum impetum coërcendum, vti oportere: & ne PP. Societatis Ieſu nuper in Vrbẽ ingreſſi, inopes, ac fauore indigentes, pro-

poſiti

positi huius tuitione vexarentur; cœnobiũ S. Thomæ, ex Ordine S. Dominici B. Virgo Teresia, & D. Guiomàr petunt, & P.F. Didaco Iuagnez, viro doctrina, & probitate claro (suppressis tamen reuelationibus; communi quippe Theologorum doctrina, vbi nihil suspectum est, decidi cupiebant) rem totam exponunt.

Pater ille (licet in totius Vrbis opinionẽ incumberet) tempus ad deliberandum exposcit: & quamuis à Patritio quodam, ne opem ferret admonitus, mox vt rem animo versare cœpit, cæleste consilium omnino visum est. Respondet ergo, maturent opus, et si quis obluctetur, ad eum remittant.

Animos erexit graue responsum: domus pacto pretio cũ scribæ fide perendie emenda erat: verùm Vrbis, & Monasterij æstus adeò efferbuit, vt Prouincialis, ne solus cum tot agminibus confligeret, modicos redditus, nec (vt dicebat) tutos prætexens, veniam promissam dare noluerit.

Etsi verò B. Virgo Teresia, vt rem eò perduceret, tot agones pertulisset, mox, vt

Prouincialis renutum cognouit, ſine vlla controuerſia conquieuit : qui obedientiæ cultus eximius fuit.

Hinc Vrbs tota peiùs de illa, quaſi leui capite laboraret, opinata, multa maledicta congeſſit : Monaſterium verò Incarnationis grauiter excanduit, ac ſi nouo propoſito, bonam illarum Virginum exiſtimationē obſcuraſſet : nec defuere, quibus in carcerē trudenda videretur.

Omnia tamē patiētiſſimè tulit, ſe Deo feciſſe ſatis arbitrata, & huius fidei conſciētia ſatis gauiſa : &, tametſi opus deponeret, animum tamen nunquā à fiduciæ firmitudine de explēda Chriſti pollicitatione deſpōdit.

Confeſſarius à propoſito Virginem deterret: Chriſtus eam ſolatur: iterum de Monaſterio agit. Cap. XIV.


PATER Balthaſar Aluarez è Societate Ieſu Virginem de mutando conſilio per ſcriptum hortatur, exigens, ne in poſterum quidquam attentet, perſpiciatq. quàm fue-

rit

rit inane propositum, quãta Vrbis offensio.

Vulnus hoc Virginem afflixit ambigere incipientem, an peccati alicuius ansam præbuisset, an visa non vera fuissent: inde quippe de totius anteactæ vitæ reuelationibus cœpit hæsitare.

Affuit indulgentissimus Deus, qui adeò illam tenerè amabat, vt longam eius vexationem ferre non posse videretur. Blanditus est: monuit sedatè ageret (nullam enim culpam admiserat) Confessario ad tempus morem gereret.

Intereà P.F. Petrus Iuagnez, Virgine (ne Prouinciali minùs obtẽperaret) intra Monasterium per sex menses quiescente, ac diuini amoris è Christi consuetudine vim ingentem hauriente, cum D. Guiomàr de Monasterio condendo, literis quoque Romã missis, contentè agit: & sex mensibus elapsis, nouus Rector Collegio Societatis Iesu præficitur, Deo meliora prouidente, cum à præcessore Virginis rem improbante P. Balthasar Aluarez præpediretur.

Nouus Rector P. Gaspar de Salazara vir

prudens, ac perſpicax, qui P. Balthaſari Aluarez per omnia congruit, B. Virginem Tereſiam feſſam recreauit.

Ceterùm antequàm ille Abulam perueniret, cum die quadam mæſtiſſimè affecta oraret, exiſtimans ſibi à Confeſſario fidem non commodari, Chriſtus, ne mœreret, citò afflictionem ceſſaturam, amantiſſimè dixit, quo aduentum Rectoris præſignauit.

At P. Balthaſar Aluarez Dei conſilium hoc modo dignouit. Chriſtus B. Virgini Tereſiæ oranti ſic præcepit: Dices Confeſſario, meditetur cràs verſum illum: Quàm magnificata ſunt opera tua Domine: nimis profundæ factæ ſunt cogitationes tuæ.

Dum ergo die proximo ſic ille meditaretur, ea lux oborta eſt, quæ omnem prorſus nebulam diſiecit: ſtatimq. inſtitit acriter, vt ad opus Virgo feſtinaret.

Coegit illa quam pecuniam potuit: & vt prudenter opus ſimularet, ſororem ſuam D. Ioannam de Ahumada per literas monuit, vt Ioannes de Oualle, cui nupſerat, Abulam, Albà veniens, domum Mona-

ſterio deſtinatam, velut vſui proprio, emeret: quod ille comiter præſtitit: dieq. Augusti 10. anno verò 1561. cœptum eſt ædificium.

Venit paulò poſt Virginis ſoror D. Ioanna, quam dum frequentiùs viſeret, Monaſterij opus expediebat: vbi inter alia multa (mirum dictu) cum die quadam cœmentarijs egeret, nec (ob inopiam) conducere poſſet, Beatiſſimus Ioſeph per viſum iniunxit, cum mercenarijs paciſceretur, pecuniā neutiquam defuturam: quod ſanè viſum ab ea firmiſsimè creditum, exitus comprobauit.

Aedificatur Monaſterium: eueniunt mira nonnulla. Cap. XV.



CVM nauaretur opera domui extruendæ, & Virgini exigua videretur, die quadam, ſtatim à ſacra ſynaxi ſumpta, Chriſtus ſic anxiam affatus eſt: Iam te monui, vt qua poſsis, incipias: O gene-

ris humani cupiditas, quæ te ſic afficit, vt terram tibi deſuturam exiſtimes?

Quoties ego abnoctaui, cum tecto carerem?

Remanſit B. Virgo Tereſia hinc erudita, & ſummopere mirata eſt, eoq́. affectu domum circumſpexit, vt iam idonea, & ſatis ampla Monaſterio videretur; nec (quod prius cogitauerat) ampliorē coemere vellet. Enixa potius eſt, vt ædificium rude inopiam Chriſti repræſentaret.

Die verò quadam Virgini Euchariſtiam ſumere paranti B. Clara, cui dies ille ſacer erat, pulcherrima forma inſignis apparuit, opemq́. pollicita vehementer illam ad opus incendit.

Cum verò de reddenda obedientia, poſt extructum Monaſterium, ad nouam inſtitutionem auſpicandam cogitaret, & ad ſuum Prouincialem propenderet; viſu Chriſti illam Epiſcopo deferendam, Romamq́. mittendam, vt Monaſterij adminiſtratio ei demandaretur, accepit.

Per id quoque tempus, (Aſſumptionis

festum erat) cum in Monasterio S. Thomæ forsitan esset, ac peccata præterita recoleret, raptu quodam ferè sensibus abstracta, se candidissima, & splendidissima veste amiciri animaduertit: & quamuis initio neminem conspexisset, mox tamen à dextera Beatissimam Virginem, ac sinistra Sanctissimum Ioseph, à quibus induebatur, aspexit. Vbi serenissima Cæli Regina manum illius tenuit, & sibi acceptissimum esse sponsi sui cultum significauit. Hortata est, ne timeret, opus sine intermissione absoluendum; se ac eius sponsum loci illius tutelares, eius filium, ceu promiserat, præsidem futurum: in quorum fidem donum illud (inijciebat autem collo monile pretiosissimum, cruce immensæ æstimationis appensa) fidēter acciperet. E vestigio in cælum efferri Regina multo Angelorum comitatu visa est: & Virgo per longum tempus immota, stupēs, ac multiplici amoris impetu concussa remansit.

Non est vllo pacto reticendum, quod in Ioannis de Oualle filio infantulo, eo tem-

pore accidit. Rediens pater à negotijs domum, iuxta limen portæ transuersum, gelidumq́. iacentem offendit; corruerat quippe paries quidam, & illum oppresserat: subleuat illum, amplectitur, appellat: nihil tamen sensus, aut motus puellus præfert. Extemplò pater ad B. Virginem Teresiam illũ defert: mater pueruli strepitum domesticorum deprehendens, quamuis ob comitatem, præsente quadam ingenua muliere, quæ ad eam forte venerat, simulasset, se vlteriùs continere non valens, suspicata quod erat, vocem dolens effert, & ad Virginem accurrit. Iacebat autem infantulus in gremio Virginis: quæ matrem impotenter perturbatam conspicata, quiescēdum monuit. Aderant multi, taciti rei exitum præstolantes. Illa demisso velo, quo caput obtegebat, caput infantulo admouet, & aliquantulùm immorata, internis gemitibus (nam externè, vt Moses olim ad litus Rubri maris silebat) validissimè Deum clementissimum pulsat, ne illos, quibus ad Monasterij opus vti vult, tanto mœrore conficiat.

Mirum eſt valde, ſtatim infantulus à morte expergiſcitur, & manibus vultum Virginis quaſi gratulaturus blãdè contrectat: Tunc prudentiſſima Virgo, quaſi puellus à ſomno naturali, & quotidiano excitaretur, matrem comiter velut reprehendens, Summe Deus, inquit, ecquod genus perturbationis te obruit ſoror? Ecce puellus, illum amplectere.

Huic miraculo communis fama in regno Hiſpaniæ fidem aſtruit.

Alia planè inſolita per id tempus contigere, quibus B. Virgo Tereſia cœpit luculentiùs emicare.

Parietem Monaſterij dæmones diruunt: B. Virgo Tereſia Dei iuſſu Toletum petit: tempeſtiuè reuertitur. Cap. XVI.


AESERAT in dubio, cuinam obedientia reddenda foret, Prouinciali, an Epiſcopo; monituq. Dei Epiſcopo D. Aluaro de Mendòza parendum intellexit: qui ſeriò rem aggreſſus ad

Summum Pontificem pro deferenda sibi prælatione transmisit.

Feruebat opus: at bonorum cœptorum hostis inuidentissimus dirè torquebatur, & se vlcisci cupiens, parietem alto fundamento firmiter extructum, angulis lateritijs benè nixum, & prealtum, nocte quadam euertit.

Succensuit cemētarijs Ioannes de Oualle, & ad restituendum proprijs sumptibus cogendos putauit. Sed B. Virginis monitu, demonum impetum miratus destitit.

At D. Guiomàr hac parietis ruina deiecta Virginem conuenit, subdens fortasse opus non probari Deo, quòd firmissimus paries, preter opinionem, ac naturalem rationem corruisset. Respondit lepidè, grauiter, ac sedatè admodùm Virgo: si cecidit, subleuetur. Misit confestim nuntium D. Guiomàr, in oppidum nomine Taurum, vbi eius mater agebat, expetens pecuniam pro ruina reficienda: absenteq. nuntio B. Virgo Teresia traditam ei pecuniam diuinitus agnouit.

Nihil animum inuictum frangere potuit: vnum dumtaxat extimuit; ne Prouincialis euentum resciret, ac opus interdiceret. At huic timori appositum à Deo remedium prouisum est.

Obijt Toleti sub id tempus Arias Pardus Vir Illustrissimus, Malagoni, aliorumq. oppidorũ dominus; cuius vxor D. Luysia de Cerda, soror Ducis Medinęceli; orbitate illa tantoperè languit, vt ad solatium captandum, B. Virginem Teresiã, cuius fama percrebuerat, à Prouinciali impetrauerit.

Pridiè igitur Natalis Christi, anno 1561. præceptum Prouincialis innotuit, & in ipso die faustissimo viam carpere cœpit. Idoneũ sanè viaticum Christi vim adepta est: sic enim illam profecturam fuit affatus: Ito prorsùs, ne aliorum sententijs pareas: pauci quippe de hac re sine temeritate consilium dare poterunt: perge, tametsi labores perlatura sis; mihi enim rem gratissimam facies. Nam & ad hoc ipsum ędificij opus, donec Apostolicæ literæ referãtur, abesse te proculdubio expedit.

Re cum sancti Aegidij Rectore communicata, erecto animo, Ioannis de Oualle comitatu, Toletũ venit: vbi in ædibus D. Luysiæ, ad pietatis cultum, vniuersæ familiæ mirificè profuit: ibiq. per dies aliquot cum Maria de Iesu, muliere quadam, sanctitate clara, quæ à Deo eodem, quo B. Virgo Teresia, anno, ac mense simili proposito vocata, distractis facultatibus Romam petierat, & litteras Apostolicas impetrauerat, de ratione condendi Monasteria contulit. Hæc tamen vnum tantummodò Monasterium Archiepiscopo Toletano subiectum Compluti construxit, & meritis locuples è vita migrauit.

Mansit ergo B. Virgo Teresia Toleti, apud D. Luysiam, per sex menses, quibus Mariam à S. Ioseph, Virginem virtutibus illustrem, quæ posteà multis præfuit Monasterijs, sic affecit, vt occasione captata, secũ illam abduceret.

A Prouinciale verò copia discedendi facta Abulam reuerti pertimuit: agebatur quippe in Monasterio Incarnationis de

Superiore eligenda & in eam vnam Monaſterij ſuffragia conſpirabant.

Sed interim, dum timor Virginem remoratur, ſic illam Chriſtus hortatus eſt: Neutiquàm ab intinere ſuperſedeas: quin potiùs, quandoquidem crucis deſiderio teneris, feſtina; grauis enim tibi crux imminet: ne illam detrectes: perge fortiter, ac ſtatim: ego tibi opitulabor.

Confeſſarium ergo è Societate Ieſu hac de re conuenit, verita, ne crux illa grauis, eſſet fortaſſe prælatio: à quo, licet ob temporis inclementiam (æſtas quippe vigebat) itineris induciæ permitterentur, cum pacare conſcientiam minimè valeret, denique dimittitur. Fuit autem acceſſus ille feſtinus, adeò ad extruendi Monaſterij rem, vt itinere paululùm dilato omnia (quantùm conijci poteſt) intercepta fuiſſent.

Perferuntur literæ Apoſtolicæ: Epiſcopus obedientiam admittit: Euchariſtia in Monaſterio reponitur: quatuor puellæ induuntur.
Cap. XVII.



ON prælatio veteris, ſed noui Monaſterij inſtitutio feſtinationem requirebat: litteræ quippe Apoſtolicæ, per quas Epiſcopus Monaſterio præficiebatur, eadem, qua B. Virgo Tereſia nocte, Abulam peruenerũt: vbi tunc vir ille mirabilis P.F.Petrus de Alcantara Franciſcanus, quem Franciſcus Salzedo domo exceperat, agebat: qui auctoritate ſua apud omnes, & Epiſcopum præſertim maxima rem promouit: & poſt dies paucos cumulatiſſima corona donandus, animam efflauit.

Eouſque videlicet dilatus videbatur, vt Virgini adeſſet: quemadmodum & Ioannes de Oualle, qui Abula recedere cogitarat, repentino morbo correptus, tamdiù ia-

cuit

cuit, quamdiù opus fuit, vt ipsa illius inuisendi gratia, honestiùs Monasterio, & frequentiùs egressa, nouum ædificium vrgeret. D. enim Guiomàr Abula excesserat, nec suberat, qui operi instaret. Quapropter statim ac res eò perducta fuit, vt Ioannis opera non requireretur, facetè sic B. Virginem Teresiam interpellauit: Eia mater, opus iam non est, vlteriùs ægrotem: ac statim non sine stupore conualuit.

Re igitur maturata; impensiùs Virgo de spirituali ædificio, quàm de materiato sollicita, quatuor Virgines inopes, sola virtutum dote opulentas, Antoniam à Spiritu Sancto, Mariã à Cruce, Vrsulam à Sanctis, Mariam à S. Ioseph, velut quatuor lapides angulares in Monasterij fundamento ponendas elegit: quas 24. Augusti anno 1562. die, qui B. Apostolo Bartholomæo sacer erat, Magister Daza, qui Eucharistiam in Ecclesia recenter dedicata collocauit, lætissimo præsagio induit: ac in hunc modum primum Sanctiss. Patris nostri Ioseph Monasterium conditum est.

B. verò

B. vero Virgo Teresia quaterno partu, fœcunda tempus captabat opportunum, vt in Monasterium Incarnationis reuerteretur, in nouum cœptæ reformationis claustrum, ex Prouincialis venia reditura.

Quidquid autem in hoc genere attentauit, non sine nobilium Theologorum censura vnquam aggressa fuit: ne quid minùs inculpatè committeret.





LIBER SECVNDVS.

Scopus, quem B. Virgo Teresia ad Monasteria condenda sibi proposuit.
Cap. I.

NON fuit modestissima Virginis mens nouam Religionem condere, sed suam instaurare; quamobrem eum vitę modum selegit, qui ad finem assequendum esset appositissimus, vt ex historia tota liquebit.

Verùm quo grande opus hoc, proposito grandi fęliciùs expleret, scopum quendam sibi tam sublimem, & cælesti prudentia dignum præfixit, vt à mulieris ingenio nihil altius potuerit excogitari.

Acceperat prudentissima Virgo, cladem funestam à Lutheranis Galliæ tunc illatam (vt ipsa c. 1. in itinere perfectionis expressit) & charitatis immensæ incendio conflagrauit: optasset quippe millies occumbere vel pro salute vnius ex illo infælici numero: nec tamen votum explere valebat. Sed in-

uento miro diuinitùs inſpirato, decreuit, crandi ſtudio perenni, ceteriſque pijs operibus, quibus inſtitutum cœptæ vitæ contexitur, ſic vti, vt pro ijs, qui hæreticorum ſaluti nauarent operam, doctoribus, concionatoribus, fidei propugnatoribus Deum iugiter interpellaret: vt quæ ſexus imparitate in opus virile nequiret incumbere, virili certè animo viros iuuaret.

Artificiosè quidem opera ſuæ gentis expoliuit, & excelſi finis altitudine ſubuexit. Si enim, vt Angelicus Doctor aſſeruit, eæ Religiones perfectiores ſunt, quæ præter propriæ ſalutis culturam, ea quæ contemplātur in proximos quoque deriuāt: neceſſe eſt B. Virginis Tereſiæ ſcopum, vltra quē fœmineum genus ferri nequiuit, eò perfectionis ſuum inſtitutum prouexiſſe, vt altiùs promoueri non poſſet. Cum enim pro fide mulieres pugnare non valerent, proximè ad pugnatorum dignitatem, illos iuuandi conatus acceſſit. Qua ex re maturum certè iudicium ferri poſſit, quid Tereſia à viris, quos condidit, erga fidei hoſtes fieri vellet,

quæ fœmineos quoque labores in hoc ipsũ opus direxit. Profectò strenuos milites optasse, & iugi orandi tenore à Christo impetrasse, ex eius scriptis non leuiter conijcitur.

Non sanè quod nouum sit Teresiæ inuentum, viros contemplationi addictos, exquirendæ proximorum saluti destinare. Constat quippe classicorum historicorum, primæuum Carmeli florem discribentium relatu, insignium Sanctorum nostrorũ exẽplis; Summorum Pontificum formam ex contemplatione, ac spirituali actione compositam apprimè laudantium priuilegijs, institutum Carmeli mira contemplatricis, & actuosę vitæ varietate ab origine fuisse contextum. Ex quo certè liquet, priscam formam Carmeli integram reuixisse. At enim in eo flore antiquæ formæ renascentis, laus Teresiæ summa fuit, qnod ampliore quodam mentis proposito, pristinum institutum exornauerit, & in genere proprio, altiore gradu perfecerit.

Ex quo sanè perspicitur, reformationis

huius cultores, non satis instituto suo, Virginisq. proposito facere si dumtaxat contẽplentur, seq. ipsos perficere studeant: nisi ad infidelium conuersionem aspirẽt, operaque sua in eum scopum peculiari directione colliment.

Primæuam Regulam obseruandam B. Virgo Teresia introducit.
Cap, II.



X primo libri primi capite liquet, quænam sit primæua Carmelitarum Regula, quibus temporibus, causisque lenita.

Priscam ergo Regulam, quæ, dum olim Carmelus floreret, exactissimè obseruabatur, temporum, & animorum iniuria laxatam, non modò ad primũ decorem B. Virgo Teresia restituit, sed plura non iussa, studio perfectionis adiecit.

Nam præter votorum, ieiuniorum, verberum, lecti, orationis, frugalitatis, silentij

receſſus, ruditatis veſtium, & aliorum præſcriptionum capita, ſecundo primi libri capite recenſita (quæ Fratribus, & Monialibus communia ſunt) exercitia, tum ſpiritualia, tum corporalia muliebri ſexui ſic attemperauit, vt ſe à Spiritu ſancto duci, ijs præceptionibus facilè demonſtrarit.

Quod verò ad reliqua ſpectat, ſuauiſſimo regendi more animos quo volebat, flexit: ita ſeueritatem lenitati permiſcuit, vt auſteritas non angeret, ſuauitas non remitteret.

Numerũ modicum in vnoquoque Monaſterio perſcripſit, vt cuiuſque mores, & indigentiam ea, quæ præeſſet, explorare, curareque valeret.

Laborem diurnum fœminis vſitatũ ita temperauit, vt à contemplationis ſtudio corpus laſſum animos minimè præpediret.

Lectionis paſtum opportunũ, ipſo quoque cõmunium laborũ tẽpore præſcripſit.

Mortificationes varias, vt animos à creatis rebus ſenſim ablactaret, prudentiſſimè docuit.

Puellarum, eum ſtatum expetentium nō opes, ſed mores penſitandos dixit: & ingenio pollentes plurimùm commendauit.

Arctiſſimam clauſuram præſcripſit, & ad cancellos, parentum, & conſanguineorum, vel aliorum, quibus iuſtis de cauſis ſermonis copia fieri deberet, colloquia parciſſimè permiſit.

Orationis, & Sacramentorum frequentiam in morem induxit.

Denique ſic omnia moderata eſt, vt perfectionis Chriſtianæ ſcholā omnibus ornamentis inſtructam inſtituerit. Cuius preſcripta, Apoſtolicarum Pij IIII. literarum auctoritate edita, à Patribus eiuſdem reformationis, auctoritate quoque Apoſtolica, in Comitijs Compluti celebratis, probata, & à Reuerendiſſ. D. Cæſare Spetiano Epiſcopo Nouarienſi Nuntio Apoſtolico, Madriti confirmata, quaſi totidem oracula coluntur.

Literæ Apoſtolicæ datæ 17 Iulij. 1565.

An. 1581.

An. 1585. 10. Octobris.

Su-

Subit animum grauissima perturbatio: postea euanescit.
Cap. III.

POSTQVAM ergo fausta cœpta B. Virgo Teresia perspexit, vix lætitiæ vim exultantē cohibere poterat. Christi promissio expleta, Sanctissimi Ioseph titulus Ecclesiæ inditus, quatuor puellæ sanctitate diuites gaudium exaggerebāt: & quasi iugi mentis suspensione gestiebat.

Hæc hostis infestissimus cum ægrè ferret, subitanea irruptione Virginis animum (sinente Deo) caligine teterrima obruit. Erumpunt immoderati motus, timores, dubitationes, mœrores.

Succurrit anxietas molestissima, an contra Prouincialis mentem, ac proinde virtute obedientię contempta, opus illud expleſset; an puellę illę austeritatem tantam essent perlaturę; an victus defuturus; an & ip-

ſa ęgrotans, ſine ſocietate aliarum, quibus in Monaſterio primo familiariſſimè vtebatur, eſſet perſeueratura; an dolus hoſtis eſſet, qui eam quiete multa fruentem, ac diuinis rebus in clauſtro commodiore intentam interturbaſſet. Paulò antè lætitiam, poſteà mœſtitiam capere nequibat: omnia Chriſti blandimenta, & promiſſa, omnia ſapientum reſponſa, omnia Dei propitij ſigna ſic memoria excidere, ac ſi nunquam concepta fuiſſent. Quippe in hunc modum fortes animos Deus experitur. Cruciatus certè vnus è totius vitæ grauiſſimis fuit.

At intra atras nubes has radius quidam diuinus illuxit, quo procella reſidente, turbinis auctorem internoſceret. Meminit anteactę firmitudinis, ac propoſiti, quo per ſudores, & agones Deo famulari cupierat: & quamuis luctam intra ſe diram pateretur, coram Sacramento viriliter pollicetur, ſe, quàm diligentiſſimè poſſet, enixuram, vt cum Superioris venia, in Monaſterium recenter conditum ſe quantocyùs reciperet: vouetque clauſuram.

Sta-

Statim, ac vouit, ſerenitas lætiſſima redijt, & hoſte cum probro aufugiente, de nuncupato voto gaudium ſuccreuit immẽſum, quod in poſterum nulla aduerſitate decreuit.

Mox verò ac euulgatum eſt, Monaſterium fuiſſe inſtitutum, multiplex Deo laus in Vrbe reddita: ſed intra horas paucas tumultu coorto, & primoribus malè ominantibus, ac opinantibus Vrbem deſtruendam, niſi Monaſterium dirueretur, intercisa fuit.

Intereà Virgo tumultus ignara, proximæ noctis vigilia feſſa, voluit à prandio tãtillùm requieſcere; ſed ei permiſſum non fuit: cum enim in Vrbe tota, quod mane illo contigerat, reſcitum eſſet, quæ Monaſterio Incarnationis præerat, quaſi æſtum ſedatura per nuntium præcepit, vt confeſtim ad ipſam reuerteretur.

Vix præceptum audiuit, cùm valere iuſſis quatuor puellis inde nimiùm afflictis, & Vrſula (vna ſcilicet è quatuor) eis præpoſita, Monaſterium Incarnationis repetijt: vbi ratione de rebus geſtis reddita,

Superior illa aliquantùm deferbuit.

Mittitur verò ad Prouincialem nuntius: accedit Pater ille: vocat Virginem imagine iudicij adeò gaudentem, vt risum contineré non posset, sed corripitur, culpæque ab alijs malè affectis exaggerantur. Et cum nihil pro se responderet (sic enim apud se statuerat) à Prouinciali iussa, tam cordatè rem exposuit, vt nec à Prouinciali, nec à Monialibus quidquã vlteriùs obijceretur.

Occasione autem captata, conuenit postea seorsim Prouincialem,& rem totam luculentiùs aperuit: à quo liberaliter habita, promissum accepit, illum noui Monasterij copiam facturum, vt primum ciuitas commota sedaretur.

Exacto triduo(per ꝙ Vrbs flagrauit,quasi sæuissimorũ hostium obsidione premeretur) Gubernator,optimates, Theologi, Iuris prudentes conueniunt,& de re noua, velut de causa inuidiosissima,disceptant: decernuntque ad Vrbis salutem, sublata è loco Eucharistia, Monasteriũ euertere oportere.

Rem è vestigio fuissent vehementer aggressi, nisi grauissimus P.F. Dominicus Bannes Ordinis S. Dominici, primæ Theologorum cathedræ Salmanticæ posteà præses, in medio concilio exurgens, obstitisset, caussatus, non esse rem ita vrgendam, debere maturiùs expendi, superesse satis temporis, ad Episcopi iudicium spectare, aliaque non pauca, tam prudenter, suauiterque digesta, vt subitum diruendi Monasterij decretum impedierit.

Feruebat Vrbs: B. Virgo Teresia, & comites operis, multis maledictis proscindebantur; dæmon omnes Vrbis angulos percurrebat, vt peiores tragœdias excitaret: ipsa orationis anchoram tenuit, & tametsi, quæ in illam intorquebantur maledicta resciret, nihilo magis angebatur, quàm si ad se minimè pertinerent. Cuius nobilitatis argumentum fuit, faceta illa Epistola, quã ad D. Guiomàr Tauri existentem, postridiè illius concilij, transmisit, postulans campanulam, ac aliquot libros Missales emeret, ac sibi mitteret.

Nihilo seciùs tamen, nonnullis timoris motibus intercalatis agitabatur, verita, ne Monasterio noceretur: & cùm aliquandò sic mœreret, ita clementissimus Deus illam solatus est. *Nonne scis me omnia posse? quid times? certò noueris, Monasterium neutiquam destruendum: quidquid sum pollicitus explebo.*

Vrbs tamen apud Gubernatorem instabat: qui omnia peruia ratus, in Monasterium sancti Ioseph grauiter venit, quatuorque puellis iubet, extemplò egrediantur, aliter portas perrumpet. Respondent illæ fortiter B. Virginis Teresiæ generositatem edoctæ, non esse Gubernatoris, sed Prælati sic iubere: propterea se statim exituras, vbi à Prælato id præciperetur.

Efficax responsum Gubernatorem fregit: quapropter recedit, & amota vi, ad iudicium res tota perfertur. At cum nemo esset, qui Monasterij causam agere vellet; quod Vrbs tota in illud coniurasset: Iulianus de Abula Sacerdos in Vrbe rem vrgere incipit. Et cum pro Monasterio ad regium Consilium esset appellatum, regius à

Cu-

Curia Commiſſarius Abulam mittitur, qui vtriuſque partis rationes perdiſcit.

Cœpta lite, Vrbe pro ſe, per nuntios, apud regium tribunal agente, cum Monaſterium, nec pecuniam, nec nuntios haberet, Superiore Monaſterij Incarnationis inſtante, ne B. Virgo Tereſia cœptis inſiſteret, ad vnum Deum (quod ſuum erat aſylū) conuerſa ſic orat: Clementiſſime Deus, cauſa hæc mea non eſt: tua res agitur: omnes mihi refragantur: oportet à te rem totam abſolui: qua certè intentiſſima oratione, ſic animo conquieuit, ac ſi orbe vniuerſo ſuffragante cauſam obtinuiſſet.

Diù ſæuit pugna: B. Virgo Tereſia in Monaſterium victrix redit: animi ad Monaſterium vehementer afficiuntur. Cap. IIII.


IDES orationis enituit: ſtatim quippe Magiſter Daza, Franciſcus Salzedo, Gonzalus Aranda, (qui pro Virgine Madritum pe-

tijt)causam velut propriam arripiunt: & cũ concilium Vrbis iterum coactum in Monasterij ruinam incumberet, Magister Daza, singulari prudentia & eloquentia animos sedauit: tametsi paulò post recrudescerẽt.

Sæuijt, annum dimidium, procella hæc, B. Virgine Teresia, crucem à Christo Toleti prædictam, animosè gestante. Magister verò Daza, ne quatuor illæ tenellæ plantæ in Monasterio S. Ioseph aliquod educationis detrimentum paterentur, Episcopi auctoritate strenuè curauit, quod acceptissimus Deo Virginis animus precibus obtinuit.

Inter fluctus autem hos, vir quidam maiore affectu, quam prudentia, vt animos cõciliaret, proposuit, consilium salubre fore, si res hæc tota viris aliquot doctis velut arbitris iudicibus committeretur, & decisioni pareretur: quod B. Virgo Teresia minimè probauit. Sed altiore consilio factum, vt P. F. Didacus Iuagnes Ordinis Prædicatorum, qui auctoritate in Vrbe plurimum valebat, eo tempore Abulam veniret: à quo

mul-

multorum animi correcti, & ad meliorem ſenſum traducti ſunt.

Mox verò ſub Patris huius diſceſſum, cum Epiſcopo impensè actum eſt, vt Prouincialis veniam redeundi ad S. Ioſeph Monaſterium B. Virgini Tereſiæ daret: quod licet tunc impoſſibile factu videretur, Deo tamen propitio, impetratum eſt.

Anno igitur 1563. Prouincialis conceſſu, ad mediam ferè Quadrageſimam, non ſola, ſed quatuor aliæ, Anna à S. Ioanne, Anna ab Angelis, Maria Eliſabetha, Eliſabetha à S. Paulo, quæ B. Virginis Tereſiæ conſanguinea erat, in S. Ioſeph Monaſterium incredibili gratulatione venerunt. Ex quibus certè quatuor, cum Virgo præeſſe nollet, Annam à S. Ioanne, Monaſterio præfecit.

Succeſſu verò temporis Prælatus Virginis prudentiam gubernationi opportuniſſimam contemplatus, ad curam Monaſterij ſumma omnium lætitia promouit. At penitior alia lætitia ſucceſſit: nam poſtquàm ſex circiter menſes in Monaſterio Incarnationis egerat; eo ipſo die, quo in Monaſteriũ

S. Ioſeph reuertebatur, dum oraret in templo, antequàm in clauſtrum ingrederetur, raptu ſuſpenſa, Chriſtum ipſam excipientē, & pretioſam capiti coronam imponentem, ac pro labore clementiſſimæ Cæli Reginę cauſa ſuſcepto gratificantē aſpexit: alioque die Reginam ipſam ſplendidiſſimam, gloria inſignem, candidiſſima veſte Moniales protegentem intuita eſt.

Cùm ergo res ita compoſitę, ac fortunatę fuiſſent; Vrbs cœpit à lite deſiſtere: iam enim ſe cauſa cecidiſſe cernebat: ij verò ardentiùs amarunt, qui proteruiùs oderant, facilè confeſſi, tot aduerſitatum victoriam, ſignum diuini conſilij eſſe manifeſtum.

Hinc eleemoſynę multorum millium: hinc multarum Virginum nobilium, ſtupente mundo, in Monaſterium ingreſſus, inter quas potiſſimùm enituere neptes duę B. Virginis Tereſiæ, altera D. Maria de Ocāpo, altera D. Maria de Abula, nobilitate, opibus, ac pulchritudine, ſed interna forma pręſertim commendatę.

Quamdiù verò B. Virgo Tereſia in eo

Monasterio mansit (per annos videlicet quinque) P. F. Dominici Bannes Ordinis Prædicatorum consilijs vsa est : nihil enim doctrina,& sanctitate (quæ duo in viro illo splendebant)ei fuit acceptius.

Nonnulla, quæ B. Virgo Teresia in Monasterio egit : initium, vnde ducta sunt alia Monasteria : Venia Generalis. Cap V.



XIGVO septa claustro B. Virgo Teresia post exactos mundi turbines, tranquillissimè agebat: paradisus amœnissimus non ei tantùm, sed ipsi quoque Christo (vt per visum asseruit)videbatur : nihil mortale,nihil temporaneum animos tredecim (tot enim erant)à iugi rerum diuinarum studio dimouebat. Omnes auitam priscorum Patrum sanctitatẽ sub tanta ductrice æmulabantur : vniuersarum virtutum inuicta cultura vigebat:paupertas Apostolica religiosissimè co ebatur : & mira multa narratione digna

contigebant, quæ, ne vnius Virginis historiam intersecemus, oportet reticere.

Vnum verò fidei planè firmissimæ argumentum, velut ceterorum eius temporis indicem prodere, rationi consentaneum est.

Emerat B. Virgo aream domui contiguam, vbi erat puteus altus, & turbulentus, vt ne iumentis aqua illa foret haurienda: eam tamen aquæductu in atriolum domus corriuare cogitauit, vt ad potum (sicut aiebat) vsui esset: at ob putei altitudinem fieri non posse videbatur, vt aqua sulco duceretur. Accersuntur periti, & irrident: impensam malè collocandam obijciunt. Conuocat illa sorores, è quibus vna, nempe Maria Baptista, rationem, quam fides, non sæculi prudentia suggesserat, sic profert.

Aqua huc aliundè importanda, eiusque pretium à Deo maiore sumptu, nobis omninò prouidendum est: minoris autem illi cōstabit aqua putei ab eo purgata, & domum sulco ducta: hanc ergo è proximo puteo nobis ducet, ac salutarem efficiet.

Efficacissima B. Virgini Teresiæ ratio

visa est, & contra periti cuiusdam opinionem operi iubet manum admoueri. Sulcus aquæ tantus, tamq́. salutaris eductus est, vt omnium degustantiū sententia(ipsius etiam Episcopi, qui puteum priùs explorauerat, & multos posteà testes aquæ conciuit)aliorum fontium aquis præponeretur. Quæ velut inclytæ fidei nomine, aqua sororis Mariæ Baptistæ appellata est: fluxitque, donec temporis processu, Vrbs alium puteū horto Monasterij dono dedit: tunc enim vbi aqua naturæ cursu suppetijt, fidei aqua penè fluere cessauit.

Cum ergo B. Virgo Teresia per quadriennium in eo Monasterio lætissimè demorata fuisset, Virginum illarum progressionem admirabatur, & se, velut compeditam, opulentiam illam virtutum heroicarum cum alijs communicare non posse, vt indè animarum multa salus existeret, ægrè ferebat: propterea que vires suas, & suarum contrahens, pro salute aliorum (qui suus scopus erat) studiosissimè precabatur.

Quintus agebatur annus, cum P. F. Al-

phonſus Maldonatus ex Ordine S. Franciſci paulò ante ex India in Hiſpaniam appulſus Abula tranſijt, qui cum B. Virginem Tereſiam de innumeris Ethnicorum millibus, quæ in dies peribant, certiorem feciſſet, ſummo dolore illam perculit.

Hoc ergo ſtimulo percita in vnam è cellulis eremiticis, quas in horto ad orandum extruxerat, ſe abdidit: de tot animarum interitu, graui lachrymarum impetu, apud clementiſſimum Deum cauſam egit: patere ſibi aliquam ſemitam, qua eam ſalutem procuraret, petijt: inſtititque per dies multos, donec nocte quadam, more ſolito, ſic per viſum amantiſſimè dicentem audiuit: paulũ expecta filia, & grandia cernes. Quę ſanè verba cordi tam firmiter impreſſa fuere, vt nunquam per eos dies euaneſcerent.

Cogitabat illa, quænam grandia Deus portenderet, nec tamen capere poterat: omninò verò ſperabat, verba exitum ſortitura.

Oportebat certè lucem illam hominum ſaluti natam orbe toto diffundi: tempus in-

ſtabat:& ecce grauiſſimus P.F. Ioannes Baptiſta Rubeus Rauennas Ordinis Generalis (quod illucuſque nunquam acciderat) Abulam ingreditur. Subijt quidam timor, ne fortè cœptum deſtrueret, cùm non ei, ſed Epiſcopo Monaſterium illud obedientiam reddidiſſet. At cum nihil illa in eo genere peccaſſet, conſcientię ſecuritate erecta, non modo non latebras (vt Adę filia) quęſiuit, ſed vt Generalis Monaſterium inuiſeret, operam dedit.

Acceſſit ille, & B. Virginis Tereſię omnia candide narrantis prudentiam, & leporem admiratus, non modò cœpta non improbauit, verùm literis (quas Patentes appellant) ad alia Monaſteria condenda, quod ei nunquam in mentem venerat, ampliſſimè fauit, & ne quis Prouincialis obſtreperet, ſeuerè interdixit.

Cũ enim priſcorũ Patrũ, quibus Carmelus olim floruit, reſtitutã ibi diſciplinã animaduerteret; optauit potiùs propagari, & quoties per negotia licuit B. Virg. Tereſiã reuiſit, & amore ſingulari proſecutus eſt.

Inci-

cacissimis rationibus, quibus aduersa quæque argumēta conuellebat, armatas mittit.

Annuit Generalis statim, rationibus mirificè flexus: & duo cœnobia (accedente Prouincialium præsentis, & præcessoris cōsensu) extrui sinit: quod licet ægrè Patres illi probaturi viderentur, Episcopo rem vrgente, concesserunt.

Gaudium insigniter creuit: quāuis enim necdum Fratres ad arctiorem vitam aspirantes, modumvè auspicandi operis Virgo nosset; animi tamen magnitudine omnia sibi prospera pollicebatur: Deumq́. intentissimè orabat, vnum saltem excitaret, qui rem aggredi posset.

Hæc dum mente pertractat (vt dum de sacrarum Virginum bono cogitat, in virorum primordia, diuinæ prouidentiæ Męandris duceretur) de Monialium propagatione, tempestiua cogitatio à Deo suggeritur: & Medina de Campo, oppidum scilicet vicinum, & opulentum, primæ colonię aptū videtur.

Erat tunc ibi P. Balthasar Aluarez eius

Confessarius, cui per Iulianum de Abula Sacerdotem de Generalis ampla facultate scripsit, vt cum Abbate, qui oppido præest, de loco ad Monasterium designando, emẽdoque conferret: quod per dies quindecim sedulitate Iuliani, qui domum conduxit, expeditum est.

Scripsit quoq́. P.F. Antonio de Heredia, Cœnobij Carmelitarum eius oppidi Priori, domum Monasterio idoneã emeret: quod ille meliori ædificio destinatus præstitit.

Binas iam domos, nummum verò ne vnum quidem, B. Virgo Teresia spe diues, habebat: nec verò ad iter arripiendum necessarius suppetebat commeatus. Tunc puella, quæ Abulæ in Monasterium S. Ioseph, quod præscriptus numerus fuisset expletus, excipi nequiuerat, vt nouit Medinæ Monasterium designari, se, ac exiguã, quam habebat pecuniam ad opus obtulit: quam Virgo libenter admisit, & Medinæ inter omnes primam sacra veste donauit.

Rebus ergo ad iter comparatis, è Monasterio S. Ioseph Mariam Baptistam eius ne-

ptem, & Annam de Angelis, ex Incarnationis verò Monasterio (è quo quæ vellent, vt Superiores concesserant, ad reformatum transire poterant) D. Agnetem de Tapia, quæ posteà Anna de Incarnatione, D. Elisabethã Ariã, quæ posteà Elisabetha à Cruce, & D. Teresiã de Quesada secũ abduxit.

Mox erat discessura, & relictas Abulæ Virgines mœror obruerat: sed recedendi sensu animi magnitudine simulato, & in vna è cellis horti Monasterio plurimùm Deo commendato, 13. Augusti anno 1567. exacto habitationis quinquennio, Abula cum sex Virginibus, Iuliano, & alijs comitibus discedit.

Discessum latere sedulò curatum est: at fieri nequiuit: & (quod est hominum ingenium) nunc B. Virgo Teresia parùm sani capitis, nunc audax, nunc imprudens visa, & indignis nominibus appellata fuit. At illa mentis senectus, nõ sæculi prudẽtia regẽda, nec à proposito maledictis absterrẽda erat.

Ergo ire pergit, & obiter, ecce nuntius profert literas à domino domus Medinæ

per Iulianum conductæ, vbi se ait domum locare non posse, quod Patres Augustiniani loco contigui, quos amabat, id molestè ferrent, ac propterea cunctarentur Abulæ quousque res dirimeretur.

Hoc nuntio ipsa grauiter affecta fuit: monuitque silentium, ne Virgines illæ ictibus non assuetæ, animo caderent. Sed re perpensa fortiùs conualuit, fælicitatem ex aduersitate præsagiens.

Vt vero in oppidum, nomine Arèualum peruentum est, P. F. Dominicum Bannes Dominicanum, qui fortè aderat, accersit, cuius auctoritate rem citò componeret. Res facilè expedienda illi visa, sed Virgo sollicita noctem duxit insomnem, donec mane Patrum Carmelitarum Prior P. F. Antonius de Heredia eo venit, & animi anxietatē leuauit, aiens, domū, quā ipse emerat, ad rude principiū satis esse, habere porticum, quæ tapetibus ornari, & in sacellum, vbi Eucharistia reponeretur, dedicari posset.

Prudenter dixisse visus est, & re collata decernunt, quatuor è sex Virginibus in op-

pido vicino, cui nomen Villa noua de Areràl, cuius Ecclesiæ præerat Vincentius de Ahumada, Agnetis à Iesu, & Annæ de Incarnatione frater germanus, per dies aliquot remanere, donec reuocarentur.

Duabus ergò secum deductis, Vlmeto, quo in oppido Episcopus Abulensis fortè agebat, transire constituunt, præterquàm quod eo itinere obuiam erat locus, vbi morabatur domina domus illius Medinæ, quã petebant: quam cùm B. Virgo conuenisset, œconomo suo, vt domo exeat, ornet, aulæa, lecti cortinas damascenas ad rem, vt posteà liquebat, valdè opportunas commodet, mandata mittit.

Secundum Monasterium Monialiũ Medinæ construitur. Cap. VII.



VESPERI illius diei Vlmetum perueniunt, vbi Episcopus humaniter exceptam Virginem, neque cunctari volentem curru commodato, quò veheretur honestiùs,

dimittit : eodemque die ad mediam ferè noctem Medinam peruehitur.

Præcucurrerat Iulianus, Patresque Carmelitas de Virginis aduentu, propositoque monuerat: qui ornamenta loci, sacras vestes festinè compararunt. Pertingit Virgo, & ad minorem strepitum, ad Monasterij fores curru descendit: E vestigio sedulus Carmelitarum Prior vna cum quatuor alijs, Virgines ipsæ loci apparatum humeris exportant.

Clarissima Virgo non segniter instat: quin potius more strenui ducis milites hortantis, & antequàm hostes impetum explorent, irruptionem maturantis, omnia mouet, ac incitat. Nox breuis, proximi diei festiuissimi (nempe Assumptionis) prælудia, oppidum ea nocte ob tauros agitandos excitatum, obuij multi, qui Sacerdotes sæculares, Religiosos, Moniales onera gestantes demirati, noctis licentia, parùm modestè verbis iocabantur, aliaque multa Virginis animum vexabant.

Omnes ergò domum, vbi iacebat œco-

nomus, agminatim contendunt, & obuia prætereuntium conuicia taciti vincunt: forès acriter pulſant: exilit lecto œconomus, oblatas literas legit, & obtemperat.

Ingreditur totum agmen in atriolum proximum. Et ecce diruti parietes, tectum vnum non benè ſartum, ſolum ruderibus obſitum, parietes, qua extabant, ſcabri: indignus certè Sacramento locus viſus eſt. offert œconomus aulæa, & lecti damaſceni cortinas, quibus ſqualidus locus obtegeretur: quo animos magnoperè exhilarauit.

At deerant claui, & à quibus emerentur: circumſpiciunt vetuſtos parietes, clauos raro eminentes inueniunt, ac extorquent: aulæis Fratres locum inſtruere feſtinant, Moniales terram exportant.

Iam ferè diluceſcebat: Vicariuſque oppidi conueniendus erat, vt ſcribam eo deſtinaret fidem ſcripto facturum, Monaſterium illud non ſine Abbatis venia inſtitui, ne quis obſtaret: accurritur ad Vicarium, euocatur ſcriba, fidem aſtruit: periſtromatis locus honeſtatur: campanula in altiore

ędium loco ſuſpenditur: & ad primum auroræ ſplendorem ad ſacrum pulſatur.

Tota vicinia frequens confluit, ſtupetq́. nocte vna cœptum, & abſolutum Monaſterium. Quo ſe vertant ignari oppidani mirantur, modicoque tempore adeſt frequentia, quam locus capere nequit.

Opus fuit, Moniales è regione altaris in ſcalam, quæ ſola inter collapſa perſtabat, ſe recipere, vt oſtio clauſo per rimas ſacrum audirent, irrumpentique turbæ cederent.

Sic ergo Monaſterium S. Ioſeph Medinæ lætiſſimo Aſſumptionis feſto, anno 1567. ad immortalem B. Virginis Tereſię laudem conditum eſt.

Hic verò quibus acclamationibus fortiſſimę Virginis huius nomen celebretur? Quinquaginta tres annos nata, ęgra, tentata, ieiuna, inſomnis, labori, & oneribus intēta, oppido numeroſo rerum ignaro, opus tantum, tam citò, immò priùs abſolutum, quàm cognitum; priùs oppidum illuſtri victoria, quàm inſpectum, quem non admiratione ſuſpendant?

Cæſar quinto poſt aduentum die, cum Pharnacem Ponti Regem, vno dumtaxat horarum quatuor prælio ſuperaſſet, dum triumphum ageret, hoc prodidit inſcriptum: Veni, vidi, vici, quantò verò æquiùs ſtrenuiſſimæ Virgini Tereſiæ hoc quadret inſigne, quæ non quinque, ſed duorum dierum interuallo, antequàm Medinam cerneret (quippe nox erat) non quatuor, ſed duarum horarum periodo venit, & vicit?

Quibus oculis illam Chriſtus intueretur? qui mulierem ſuo cordi congenerem inuenerat? Profectò Salomoni ſciſcitanti; Mulierem fortem quis inueniet? fidenter reſpondi queat, Virginem hanc orbe toto clariſſimam, viris fortiorem euaſiſſe.

Grauis tentatio ingruit: mutatur domus: reparatur. Cap. VIII.

VANDAM Abulensis procellæ imaginem dæmon instaurat. Nouo quippe sacello, vbi Eucharistia coleretur, B. Virgo Teresia mirificè oblectabatur: sed copia tentandi facta, hostis animum illũ inuictissimum aggreditur atque perturbat.

Facto enim sacro, domum inspectura Virgo è latebra prodit, ruinam, quam nocte satis nequiuerat, explorat: doloreque corripitur, ac timore, ne quis occultus hæreticus, qui ad illius oppidi emporium celeberrimum fortè venisset, Eucharistiæ, quæ sine munimento parietum dereptioni patebat, vllam iniuriam irrogaret.

Excreuit animi mœror, & perturbatio, dæmone aliorum dicta exaggerante, ac rei promouendæ desperationem suggerente: lux cælestis aberat: multiplices importunæ cogitationes de parùm prudenti cœpto

(vt tunc apparebat) incurſabant: dubitatio, an à Deo inſpiratum rei propoſitum fuiſſet, oboriebatur; ac indè, de totius vitæ decurſu ambiguitas ſubibat: ex vna quippe illuſione, totam proindè vitam, impoſturam quandam eſſe, conijciebat.

Nec mirum, animum illum illuſtriſſimum repentè ſic excæcatum, ac deiectum, vt qui paulò ante ardua contemnebat, cogitatas modò difficultates exhorreat. Mos quippe diuinæ ſapientiæ eſt, eximios ſanctitate viros, ne efferantur, interdùm derelinquere, vt quid ex ſe, quid ex diuina fortitudine valeant, internoſcant. Profectò enim idem Paulus erat, qui ad Romanos 8. ſe ne ab Angelis ipſis à charitate Chriſti ſeparari poſſe gloriatur, & qui ad Corinthios, Aſię vexatione, ſe vitæ quoque tædio deiectum apertè fatetur: at ibi Deus Paulum agebat, hic Paulum propriæ fragilitati permittebat.

Tacuit ergò, & procellam, ne Virgines exanimaret, intra ſe coercuit: donec veſperè P. Balthaſar Aluarez è Societate Ieſu (de

quo mentio ſæpe facta) quendam alium, qui Virginem inuiſeret, deſtinauit: cuius ſermonibus illa vim reſumpſit, & cum eo de alia domo coëmenda contulit. Res vrgetur: ſed intereà cuſtodes Euchariſtię in ſingulas noctes nō ſolùm aſſignat; ſed præ ſollicitudine crebro ipſa expergiſcitur, & explorat: lunæ quippe luce locum cernere poterat, cum omnia ruinis paterent.

Hebdomada his cuſtodijs exacta, Blaſius de Medina, vir planè pius, è domo ampla ſua dimidiā partē B. Virgini Tereſię cōmodat, donec Monaſterium reparetur. Eodemque tempore mulier ingenua D. Helena de Quiròga, quæ vnà cum filia poſteà in Monaſterium ſpreto ſæculo ſe abdidit, Virginem inuiſit, pecuniamque ad extruendū ſacellum, & Monialium clauſtrum (vt erat pia) pollicetur. Cum verò P. F. Antonius de Heredia Carmelita rem diligenter vrgeret, intra menſes duos, in Monaſterium Virgo reuertitur: cui amplas eleemoſynas multi erogant, quibus debita diſſoluuntur, & ædificium promouetur.

Inſpi-

Inſpirauit, per id tempus, clementiſſimus Deus, nonnullis Virginibus ſtatum illum, quem miræ virtutes ijs, quas in Monaſterio Abulenſi Vrbs laudabat, ſimillimæ, optabilem efficiebant: quas & ipſa Virgo admirabatur, & exemplo prouehebat.

Aegrotauit autem aliquandiù ipſa, & aliæ, quas Abula eduxerat, vt nihil ad perfectarum virtutum experimentum deſideraretur: patientia nimirùm teſtis omni exceptione maior eſt.

Vnum hic perſpicaciter annotandū videtur, quod Virgini per viſum accidit, cum in Malagoni Monaſterio poſthac extructo Chriſtus præcepit, Monaſteriorum fundationes ſcripto digereret. Cogitabat enim illa, quid ſibi vellet ſilentium Chriſti, in hoc Medinę opere, nihil ei iniungentis. cui Chriſtus: quid vltra deſideras? An ſatis non ſit, opus illud miraculoſum extitiſſe?

Agit de condendis Fratribus: offertur ei Monasterium Vallisoleti: venit Complutum. Cap. IX.

NON poterat generosum Virginis cor, grandibus deditum, grãdia non moliri: quapropter de viris instituendis, exhausta Medinæ difficultate, cogitans, cum P.F. Antonio de Heredia Carmelitarum Priore secretò rem contulit.

Excepit illã alacriter Pater: at cũ eum nõ valde firma corporis constitutione ad labores austerioris vitæ perferendos animaduerteret, non admodùm vrgebat. Subiecit Pater, se multò antè de re sua (quod ad arctiorem disciplinam pertineret) deliberasse, ac institutum Carthusianorum amplecti decreuisse: lætata est mirum in modum, & impensiùs hortata, vt se ipsum arctiore disciplina experiretur.

Morem gessit, & annum integrum experiendo prçlusit, Deo quoque labores

alios,

alios,& insectationes immittente, vt lapidē viuum expoliret. Sed accessit nouum gaudij incitamentum: eo quippe venit Pater alius Carmelita, nomine F. Ioannes à Cruce, Salmanticæ tunc studijs intentus, cuius probitatem P.F. Antonio laudatam B. Virgo expetiuit. Contulit ergo cum eo de grandi proposito: quod ille auidè amplexus, festinationem requisiuit: agebat enim de Carthusiano quoque statu deligendo.

Duos ad basim, electos lapides, B. Virgo Teresia nacta, impendiò gauisa est: rem tamen aliquantùm procrastinari placebat; quod P. F. Antonio, quem experiri malebat, non tam fideret, quàm Ioanni, quem summoperè dilexit.

Sub idem verò tempus, quatuor ferè menses, antequàm Medina Malagonum peteret, conuenit illam Iuuenis quidam genere illustris, qui à Deo actus Medinam veniens pollicitus est, donaturum se amplam domum, contiguum viridarium, latamque vineam, si Vallisoleti Monasterium condere vellet. Instititque, vt quàm citissimè ex-

pedire-

pediretur, possessioque mox iniretur: qua in re sibi, licet tunc ignarus, prudentissimè prospexit.

Erat hic D. Bernardinus de Mendoza, filius Comitis Ribadauiæ, fraterq. germanus Abulensis Episcopi: qui Abulæ, antequàm B. Virgo Teresia Medinam discederet, de donatione agere cœperat. Cum verò eo tempore D. Maria de Mendoza D. Bernardini soror Vbedam esset migratura, Virginem rogauit, vt secum Complutum vsque veniret, vtpotè quæ eò alijs de causis omninò esset itura: & obiter scripta (vt mos est) fide, domus Vallisoleti à D. Bernardino donata est.

Complutum ventum est: quò B. Virgo Teresia perillustris D. Leonore Mascarane precibus acta se contulit, vt Virgines Monasterij, quod ibi Maria de Iesu condiderat, erudiret: quod vbi per menses duos absoluit, Toletum, ac deinceps Malagonum (vt postmodùm dicemus) ad noua lucra discessit.

Condit Monasterium Malagoni. Cap. X.



VAM erat sollicita de gloria Dei amplificanda, tam ipse clementissimus Deus erat intentus Teresiæ disciplinæ propagandę: duo quippe Monasteria, Vallisoletanum, & Malagonense illam sibi certatim vendicabant.

Pro Malagonensi verò acriter instabat D. Luysia de Cerda soror Ducis Medinæcæli, apud quam Toleti B. Virgo Teresia demorata fuerat, vt 1. lib. narratũ est. Optabat sanè nobilissimæ illi mulieri obsequi: verùm exiguo in oppido redditus admittere oportebat, respuere cœpit. At re cum Theologis P. præsertim F. Dominico Bannes Dominicano ex more collata, cum Concilij Tridentini redditus probantis decretum laudaretur, multis aliunde precibus pulsata consensit.

Rebus igitur pactis, ex Abulæ Monaste-

rio nonnullas Moniales per nuntium euocat:& præfecta Monasterio Medinæ Agnete à Iesu, secum Annam ab Angelis, Mariã à Sacramento (quę cum virtutum, ac patientiæ laude Albæ obijt) Mariam Magdalenam, Elisabetham à Iesu, Elisabetham à S.Ioseph secum educens,anno 1568.ad mediam Quadragesimam Medina discedit.

Toletum ego venit, vnde D. Luysia de Cerda Virginem Malagonium deducit:Monasterioq. nondum coaptato, in oppidi arcem per dies octo secedit: ex qua Dominica Palmarum solemni supplicatione Moniales in templum deductę, sacrum, & concionem audiunt; & Eucharistiam comitantes, velis nigris ex more tectæ, oppido mirante, in tertium Monasterium ingrediuntur,quod S.Ioseph titulo insignitum est.

Locus erat incommodus, & studio orationis ob proximæ plateæ strepitum infestus; quapropter alium commodiorem, D. Luysiæ liberalibus expensis per dies quatuordecim (quamuis architecti annum dimidium interfluxurum censuissent B. Vir-

gine

gine Teresia per orationem, ac laborem (exportabat quippe onera, & cæmentarijs quotidie instabat) rem à Deo impetrante, Moniales transierunt.

Verùm quod intermittendum non est, mox ac Malagonum B. Virgo Teresia peruenit, membris contractis grauissimè affecta fuit; cum verò oportuit illam operi instare, statim conualuit: at opere perfecto (vt Dei prouidentia clarescerett) iterum contracta decubuit.

Opus absolutum est; at redditus illi, quibus alia Monasteria carebant, Virginis animum laniabant: etsi enim doctissimorum Theologorum sententiæ paruisset, Apostolicæ tamen paupertatis amor sollicitudinē generabat: & propterea studiosissimè cultum paupertatis condidit, & à redditibus animos alienauit.

Clementissimus verò Deus, vt præstitam viris sapientibus obedientiam, proprijque iudicij abnegationem probaret, sacra synaxi sumpta, die quadam illam solatus est, aiens id Monasterium sibi fore acceptis-

ſimum: quod ipſa ſcripto conſignauit.

Elapſis verò duobus menſibus, Anna ab Angelis Monaſterio præpoſita, B. Virgo Tereſia ſtimulo amoris plura, & maiora ſitientis acta receſſit.

Conditur quartum Monaſterium Valliſoleti; & domus donatio compenſatur. Cap. XI.



VOS circiter menſes à domus Valliſoletanæ dono D. Bernardinus de Mendoza Vbedæ repentina morte, dum B. Virgo Tereſia Compluti eſſet, interijt: intercepto quippe ſermone, vix confeſſionem ſacram abſoluit, licèt apertiſſima pœnitentiæ ſigna exhiberet.

Acer dolor inceſſit: verita eſt quippe, ne Iuuenis ille damnatus fuiſſet, pro quo dum anxie precaretur, fælicem illi ſortem contigiſſe, ac pro dono æternam mercedem obtinuiſſe, Chriſtus oſtendit: ſubiunxitque animam illam ex igne Purgatorij liberandam,

quo

quo die in Monaſterio nouo primum fieret ſacrificium.

Vt lætum nuntium audiuit, pro immenſa qua flagrabat charitate, acerrimo animæ illius cruciatu mentis oculis obuerſante, & ad iter extimulāte, conquieſcere nequibat.

Quamobrem omiſſo Tolcti, quod extruere cupiebat, Monaſterio, cùm Abula, Medinaque tranſiſſet, quàm celeriter potuit, Valliſoletum peruenit.

Qua in re, vt & clementia diuina eluceſcat, & horror ignis Purgatorij concipiatur, minimè reticendum eſt, Chriſtum die quadam Virginem orantem, ſatis per ſe ſollicitam, ad iter incitaſſe, vt tempus anteuerteret: anima enim illa (vt dixit) ſeuerè torquebatur.

Secum ergo ducens D. Eliſabethā Ariā, quam poſteà Monaſterio illi præfecit, Antoniam à Spiritu ſancto, Mariam à Cruce, Iulianam à ſancta Magdalena, Mariam à Viſitatione (Maria verò Baptiſta poſt quinque menſes acceſſit) 10. die Auguſti 1568. Valliſoletum ingreditur.

Displicuit locus quantumuis amoenus: multi quippe sumptus necessarij forent, & fluuius præterfluens sanitati noceret. At silet, & sedulitate Iuliani de Auila, qui eò ad rem expediendam præcesserat, primo die Dominico, facta per Abbatem Vrbi præsidentem copia, ab ipso Iuliano sacrificium offertur: qui cum Eucharistiam Virgini porrigeret, ecstasi raptam cernit.

Cum enim ad Sacramentum sumendum accederet, apparuit Bernardinus lætus, ac splendidus, commissis manibus impensè gratus pro sollicitudine, vt ab igne liberaretur, adhibita: quo certè visu penitissimè (quia præter opinionem) exhilarata fuit: arbitrabatur enim primum sacrificium à Christo prædictum fore illud, quod Monasterio perfecto, primùm offerretur.

Possesso ergo loco 15. Augusti die, qui est Assumptioni sacratus, Monasterium Cõceptionis B. Mariæ de Carmine erectum est. Verùm loco sanitati infenso, cùm penè omnes ægrotarent, Illustrissima D. Maria de Mendoza, nobilitate, ac largitione in

pau-

pauperes laudatiſſima domum eam ſibi tradi, alia ſalubriore donata popoſcit : & ſumptus multos erogauit.

Meliori igitur conſilio domum ſancti Blaſij (ſic enim vocabatur) frequenti ſupplicatione Moniales deductæ ſunt: quæ ſuauiſſimum virtutum efflarunt odorem, qui animos Vrbis mirificè oblectauit, & Virgines multas ingenuas ad eum ſtatum allexit.

Paucis verò diebus exactis, literæ pro Monaſterio condendo, ad Virginem Toleto perferuntur, & præfecta Monaſterio Valliſoleti Eliſabetha à Cruce, olim Eliſabetha Aria, Abulam, inde Toletum feſtinat.

Quintum Monaſterium Toleti conditur. Cap. XII.


VAMVIS itinere cœpto ad Monialium opus B. Virgo Teresia properaret; cœnobia tamē Fratrum mente peruoluens, aliquam in eo genere operam obiter nauauit:

quam ne hiſtoriæ ſeriem obturbemus, in proprium locum reijcere, conſultius eſt.

Erat ergo Toleti ciuis ſine liberis opulentus, Martinus Ramirez: qui pium quidpiam ſuis opibus inſtituere cupiens, cum morte præreptus nequiret, rem totam fratri germano Alphonſo Aluarez demandat. Adſtiterat morienti P. Paulus Hernandez è Societate Ieſu, qui cum eſſet B. Virgini deditus, obeuntem monuit, ſi cuperet quid Deo acceptum efficere, vteretur opportunitate noui Monaſterij conſtruendi, quod Deo acceptiſſimum fore proculdubio ſentiendum eſſet.

Miſſæ ſunt ergo literæ B. Virgini Tereſiæ Valliſoletum, vnde Toletum 24. Martij anno 1569. vnà cum Eliſabetha à ſancto Dominico, & Eliſabetha à S. Paulo, quas Abula eduxerat, peruenit, & à D. Luyſia de Cerda excepta eſt. Verùm ob iniquas conditiones, quas Alphonſus Aluarez ad opus exquirebat, & multos patritios infeſtos, ipſumq. in primis D. Gòmez Tèllo Giron, qui, cum Archiepiſcopus abeſſet, loco

præerat

præerat, p duos mẽses nihil efficere potuit, etſi graues admodũ,& illuſtres viri negotiũ procurarent. Moleſtè rẽ ferebat, nec re infecta diſcedere æquũ videbatur. At quid ageret, cũ ſecretò quoque Gubernatoris animũ ab aduerſarijs alienari, reſciſſet?

Poſitis ergo curis alijs, nobiliſſima Virgo in templum ædibus Gubernatoris propinquum ſe recipit,& per nuntium, vt eam audiat precatur.

Venit ille:& B. Virgo Tereſia pro ſua generoſitate, grauiſſima, & modeſtiſſima ſimul libertate, rationibus illum aggreditur.

Homine, inquit doctrina, dignitate, virtute ſublimi dignum erat, rem hanc Deo glorioſam tueri:& tamen duos menſes exegi, poſtquam ad Vrbis bonum huc acceſsi, & nihil in cauſa iuſtiſsima impetrare potui. Durum eſt ſanè, Virginibus, vitæ genus auſterum affectantibus, non modò non auxilium porrigi, ſed ab ijs, qui ſæculo libenter indulgent, vehementer obſtari. Meditetur obſecro, quid Christo rationem exacturo reſponſurus ſit: ego enim nullam excuſatio-

nem ab homine, qui bono communi prospicere debet, obtendi posse perspicio.

Hæc B. Virgo Teresia disertiùs amplificauit, &(vt erat lepore, & energia prædita) sic illum domuit, vt statim facultatem (licèt non quàm amplam ipsa vellet) impertitus fuerit: excepit quippe ille, vt nec redditus, nec fundatorem haberet. At illa opus sibi absoluisse visa est, cum quatuor tantùm haberet aureos: quapropter nec aliam pecuniam contrahere, neque verò modicam illam seruare cogitans, duas imagines, & nonnulla leuissima supellectilia emit: domus verò comparandæ nulla imago subibat.

Venerat per id tempus Toletum P. F. Martinus à Cruce ex Ordine sancti Francisci, vir pius, qui B. Virgini Teresiæ addictus erat. Et cum optaret ei præstò esse, quà posset, sub discessum ex Vrbe, mittit Virgini Iuuenem quendam, cognomine Andradam, quem ex sacris confessionibus probauerat, vt obsequia iniuncta ad Monasteriū condendum expediret.

Ha-

Habuit illa gratiam: ſed res cum riſu ab alijs excepta eſt: erat enim ille inops, & ad opus vrgendum, vbi auctoritas, & prudentia requirebatur, omninò videbatur ineptus. At Tereſia, quæ hominem à viro religioſo commendatum, inutilem eſſe nequire, altiore prudentia ſibi perſuaſerat, illo vti cœpit.

Mandat, vt domum conducat (quod viri graues non valuerant) poſtridieque, eccè Andrada, opportunæ domus à ſe conductę inſperatas claues ipſo mane Virgini affert. Perluſtrat illa domum, & cum placeret, ſupellectilia, quæ puer vnus omnia exportare poſſet, contra multorum prudentum conſilia, eò iubet inferri.

Monaſterium Toletanum demùm conditur: difficultates ingruunt: omnia vincuntur. Cap. XIII.



HIS ergo peractis, B. Virgo Tereſia apparatum ad ſacrum faciendum exquirit: fabrum lignarium eò ducit; & campanulam, qua,

dum Euchariſtia in altum tollitur, vti mos eſt(nec enim grandiorem habebat) defert, vt ius nouæ domus exerceat.

Nox illa inſomnis acta eſt: nec niſi cubiculum quoddam, quò per domum exiguã ingrediendum eſſet, in ſacellum dedicari poſſe cernit.

Sed appetente iam aurora, cùm ipſa, comiteſque omnia paraſſent, portam ſacelli lateribus obſtructã diruere incipiũt. Quod mulierculæ, proximam domum incolentes, parùm tempeſtiuè excitatæ, ac vociferantes ægerrimè ferunt: quæ tamen, & verborum blandimentis, & oblata pecunia, aliuſque domus ei reddendæ promiſſo placantur.

Sub hoc P. F. Ioannes à S. Magdalena P.P. Carmelitarũ Prior, vt ſacrum faceret, maturè ſatis accedit: & campanula teſtibus idoneis accerſitis, pulſata, die S. Bonifacij Martyris 14. Maij anno 1569. initur poſſeſſio, & Monaſterio S. Ioſeph titulus inditur.

Hic pro hiſtoriæ compendij anguſtia,

cor-

cordatus quiſque penſitare poſſet, quid Vrbs tota nouum illud Dei inuentum ſummo mane mirata ſentiret.

Terruerat animos prædictio quædam (prognoſticum dicunt) fore ſcilicet, vt eodem die, Vrbs tota terræ hiatu abſorberetur; & plurimi ſacra ſe confeſſione, ac Euchariſtiæ viatico comparauerant. Quid ergo, cum ſine illa ruina nouum ædificium, quo ciuitas tota erigi poſſet, intuerentur, attoniti ciues efferrent? Alios ſanè pietas, alios ira commouit.

Succenſuit conductæ domus domina: licet enim domum in templum verſam inopina miraretur, iacturam pertimuit: mox tamen lucri ſpe læta conualuit. Inter vniuerſos autem aduerſarios, Auditores conſilij Archiepiſcopi (cum Gubernator, à quo B. Virgo Tereſia facultatem obtinuerat, tunc abeſſet) grauiſſimè excanduerunt, obijcientes imprudentiæ genus eſſe, mulierculam eis inuitis, Monaſterium auſpicari tẽtaſſe; acriterque comminati ſunt.

Reſpondet B. Virgo, ſe facultate integra

instructam, opus cœpisse: quam illi, interdicto in Ecclesia noua, sacrificio, se explorare velle causantes, grauiùs indignantur, donec re comperta, à viris illustribus admoniti quiescunt.

Iam ergo sacræ Virgines in Monasterio planè Apostolico, non extrinsecùs vexatæ latebant; sed extrema intrinsecùs inopia laborabant, nocte præsertim, cùm frigore premerentur, & præter vnum stragulum, saccos duos, & vestes, quibus tegebantur, nihil haberent. Non ligna, non culinæ instrumenta, non vllus alius apparatus suppetebat: primique diei opiparum conuiuium, paucis halecibus instructum est.

Nocte verò quadam, cum B. Virgo Teresia frigore obrigesceret, aliquo integumēto se operiri poposcit: quod festiuissimo risu sorores accepere, aientes ipsam omnibus, quotquot in Monasterio essent, stragulis, hoc est earum pallijs obtectam esse: quod certè responsum lepidè illa celebrare solebat.

Ceterùm fortasse hic sciscitetur, qui fie-

ri potuerit, vt in Vrbe opibus affluente, vbi præcipuè D. Luysia de Cerda libentissimè necessaria prouidisset, extremam indigentiam Teresia pateretur? Non abs re sic rogat, & miratur: omninò quippe fateri necesse est, non fortuitam inopiam, sed à Deo, ad experimentum illarum Virginum immissam odoris suauissimi suffitum reddidisse. Inde enim effectum est, vt nemini, ne illi quidem locupletissimę mulieri in mentem veniret, quam tanti faciebat, Virginem frigore, fameq. torqueri.

Inopiæ vero successit larga eleemosynarum erogatio: quæ multo mœrore Virgines paupertatis studiosissimas affecit: quem vbi B. Virgo Teresia mutatis vultibus deprehendit, rogauit quænam causa subesset? cui illæ: An mœrere non deceat, cum iam inopes non simus? Mirum est enim quantopere placeret inopia, ipsi potissimùm Virgini, quæ pinguissimo contemplationis pastu, per eos dies, alebatur.

Alphonsus autem Aluarez (cuius ante meminimus) non modo inopiæ succurrit,

ſed inſtaurato Monaſterij propoſito, iterũ de pacto ineundo ſic egit; vt B. Virgini Tereſiæ ad rem videretur, ſacellum Eccleſiæ ſummum (quam Capellam maiorem appellant) in poſteritatis ſepulchrum ei permittere. At obſtitere multi, aientes, homini non valde illuſtri honorem illuſtrioribus tribui ſolitum, in præclara Vrbe, non debere deferri. Chriſtus verò veræ nobilitatis auctor contra opinatus, per viſum ſic Virginem monet: Dementaberis ò filia, ſi mundi legibus obtemperare velis: inſpice me à mundo contemptum: an quos mundus extollit, apud me magni erunt? num de vobis ex generis claritate, non verò potiùs ex virtutum cultu exiſtimatio concipienda?

Conſilium ergo B. Virginis Tereſiæ, quo mundi leges aſpernata eſt, fuiſſe diuinum, rei exitus oſtendit: multùm quippe bono tum animorum, tum corporum profuit: certis Sanctorum feſtis ſolemni ritu celebrandis, ſacriſque faciendis Alphonſi pacto decretis, & ampla domo duodecim aureorum millibus empta.

Vt primum ergo Monasterium condidit, Annam à Iesu, Elisabetham à S. Ioseph è Malagoni Monasterio; alias verò Abula è Monasterio Incarnationis euocauit: quæ tamen ferè omnes, partim ex morbo, partim ex imparitate virium eò, vnde prodierant, redierunt. Quamobrem Constitutionem edidit, ne qua Monialis ex ordine alio, ne ex ipsis quidem Carmelitanis mitigatis, in posterum reciperetur.

Crescebat mirum in modum austerior noui Monasterij disciplina, & cultus obedientiæ adeò exactè reddebatur, vt oporteret eam, quæ præerat, oculatè, quid præciperet, præmeditari. Quidquid enim vel ioco ab ea moneretur, vel præsagiretur, Virgines illæ tam seriò amplectabantur, vt cum aliquandò prope foueam aquæ plenā existerent, quædam, id Superiori (vt ad experiendum fieri solet) leuiter iocanti, ac dicenti, quid si iuberem, te demergeres? gratum arbitrata, se confestim demerserit: vt postquàm emersit, opus fuerit sordidam eluere, vestesque mutare.

Vnum verò, quod ad ſolatium ſpectat, præterire non licet. Agente Toleti B. Virgine Tereſia, quædam Monialis morti proxima lætiſſimè obitum expectabat; Virgo verò ab oratione, vbi pro fælici eius exitu Deum precata fuerat, in ęgrotæ cellam reuerſa, Chriſtum ad puluini medium extenſis brachis, quaſi morientem ab infeſtatoribus tuiturum (quo habitu B. Gertrudæ moribundæ apparuit) conſpicata, ab eo accepit ex clementia ſua, ſe Moniales omnes ad eũ modum, ſub obitum, defenſurum, ne tentamenta timerent. Quod ſic accipiendum, omnes videlicet ei, quæ tunc obibat, ſimiles, hoc eſt, veras eius inſtituti cultrices ab eo tunc propugnandas, & grauiores tentationes arcendas: quod prouidentiæ, & ęquitati diuinæ maximè conſonum eſt.

Hinc B. Virgo Tereſia earum, quæ poſthac obierunt, mortem contemplata, tranquillitatem miram, quaſi Chriſto præſente, deprehendit.

Sextum Monaſterium conditur Paſtranæ. Cap. XIIII.


ROFESTVM Pentecoſtes erat, à Toleti Monaſterio cõdito quindecim diebus elapſis, vbi cum B. Tereſia in cœnaculo vnà cum alijs prãſura ſederet, incredibili gaudio, de re peracta geſtiens, exiſtimabat ſe in feſto omniũ lætiſſimo diuinis rebus ſine interpellatione vacaturam.

Sed pulſantur fores, & adeſt nuntius à D. Anna de Mendoza Eubuli Principe nobiliſſima, Principis Ruygomez de Sylua vxore, inſtante, vt quantocyùs Paſtranam Monaſterium fundatura migraret. Aegrè nuntium excepit: videbatur enim intempeſtiuus, cum Toleti plantarium tenellum, & infeſtatum eius præſentiam requireret.

Aliũde verò vrgebatur: oportebat quippe tantos Principes habere propitios, vt Regem quoque illorum precibus ſibi con-

ciliaret, ob aduersa multa, quæ cœptis imminebant. Consulit oraculum; Christusq. migrationem sic iniungit: Filia ito prorsùs, alia quippe de causa, quæ modò latet, eò destinaris: tecum Regulam, & Constitutiones effer. Hæc vt audiuit, Confessarium ex more conuenit, & re (suppressa reuelatione) proposita, censet ille migrandum: ac propterea secundo Paschatis die Maij 30. anno 1569. prefecta Monasterio Toletano Elisabetha à S. Dominico, duabus secum eductis proficiscitur.

Humanissimè igitur à Principibus excepta, sed tres ibi menses demorata, cùm conditiones aliquę parùm sententia sua salutares peterentur, re infecta discedere decernit. At cum Principis vxor rem vehementer expeteret, lenita est: Monasteriumque, cui, Domina nostra de Conceptione, nomen indidere, 9. Iulij anno 1569. conditum, & tres alię Moniales Abula, & Medina eò vocatę sunt. Sed quod hic prętereà B. Virgo Teresia gessit, loco decreto, cum alijs, quę ad Fratrum cœnobia spectant, reponetur.

Re-

Reuertitur Toletum, Elisabetham à S. Dominico, vt pręsit Pastranę Monasterio mittit, & aliquot alias, vt prudentia monet, diuersis locis temporibusque permutat.

Conditur septimum Monasterium sancti Joseph Salmanticæ. Cap. XV.



VM B. Virgo Teresia Toleti ageret, P. Martinus Gutierrez è Societate Iesu, vir sanctitate, doctrina, & prudentia insignis, Collegij Salmāticēsis Rector, per literas monet, è re sua fore, Monasterium Salmanticę extruere, quod illa iam fuerat meditata: & hoc hortatu iter aggreditur.

Venit autem obiter Abulam, vnde Patri Gutierrez scribit, ab Episcopo Salmaticensi veniam impetret, qui tunc erat D. Petrus Gonzalez de Mendoza: quem de instituto Monialium certiorem factum facilè in sententiam perduxit.

Conducitur ergo domus cautò, ne res

euulgaretur (ſemper enim inſtitit, vt niſi re abſoluta, nemo propoſiti conſcius eſſet, ne ſibi conflaret inuidiam) Abulaque cum comite dumtaxat vna, Maria à Sacramento, diſcedit: ſatiùs enim ei iam videbatur, quàm pauciſſimas, vſque ad opus nouum perfectum, euocare.

Pecuniam penè nullam, ſpem ferè immenſam ſecum effert, & Salmanticam in omnium Sanctorum profeſto anno 1569. ad meridiem, poſt longum proximæ noctis iter, & laborem, ingreditur. Tunc ex hoſpitio ipſo Nicolaum Gutierrez mercatorem aliundè ſibi notum, vt conductam domum expediat, celerrimè accerſit. Obſequitur ille, & ad crepuſculum noctis eo ſe B. Virgo Tereſia confert. E Collegio verò Societatis Ieſu P. Gutierrez ſacrum apparatum ad Eccleſiam inſtruendam, & aliquot Fratres, qui ei operam nauent, ſedulò mittit: ſummoque mane proximo, poſſeſſio initur, ſacrum fit, Monaſterio S. Ioſeph titulus imponitur. Abula, deindè, ac Medina nonnullæ Moniales euocantur, &

Anna de Incarnatione, quæ Medina venit, Monasterio præficitur.

Nocte verò illa, quæ omnium Sanctorum festum,& proximã defunctorum commemorationem intercurrit, in ædibus illis latis,& malè munitis sola B. Virgo, cum socia, intra cubiculum palea stratum (quæ prima supellex erat) se modico sõno indultura recepit. Angebatur metu socia, ne quis intra domum lateret: funestè, ac diù campanæ pulsabantur: mortis imago, ex proximo die subibat: dæmon instigabat: quamobrèm B. Virgo Teresia sociam velut attonitam, nescio quid spectantem rogat, quid intueatur? Respondet illa, vt suam anxietatem proderet: Cogitabam, inquit, Mater, quid hic sola efficeret, si ego repentè interirem? Tunc illa aliquantùm cogitans substitit, ob comitialem quippe morbum mortua corpora quæ non timebat, tamen cogitata nocere cœperant: sed pro lepore, ac animi sui magnitudine facetè respondit: soror mea, si hoc acciderit, tunc quid facto opus sit, medi-

tabor, nunc me ſomno indulgere ſinas.

Domus inepta, & ex proximo fluuio noxia erat: quamobrem poſt trium annorum decurſum, cum Virgo Abulæ exiſteret, & incommoditas filiarum quaſi præſentem malè haberet; pecunia corraſa contra multorum ſententiam, moleſtiſſimis Auguſti ardoribus ardentiore charitate neglectis, cū ſocia, & comitibus eò ire pergit.

Oportebat noctu iter agere: obſcuritas, & viæ aſperitas oberant: cumque in hoſpitium nocte media perueniſſent, equum, cui pecuniam, & alia onera impoſuerant, abeſſe conſpiciunt: quem vt diluxit, mirabili diuinæ prouidentiæ anfractu, puer quidā extra viam iacentem inuenit, rebuſque intactis, in hoſpitium egit.

Nocte verò proxima, B. Virgo Tereſia triſtiore iactura abfuit: tam denſa quippe obſcuritas concreuerat, vt comites alij ab alijs ſenſim gradiendo ſeiuncti exerrarent.

Ad ingreſſum ergo cuiuſdam oppiduli Pater quidam Virginis comes indiuiduus, monet ibi cum ſocia ſubſiſtat, donec comi-

tes alios aberrantes reuocet, vt ſimul reliquum iter conficiant. Diſcedit alios inueſtigaturus, & cum perquiſitos vellet eò reducere, vbi Virgo remanſerat, præ caligine denſa nequiuit. Quamobrem errabundus, & quò ſe verteret ignarus, cœpit ſuſpicari illam, quæ non apparebat, præiſſe: ac iter vrget, donec illi omnes in hoſpitio ſine pretioſiſſimo theſauro pertingunt. Sed extemplo diuiſi, & anxij hac, illac perueſtigaturi, recurrunt. Virgines ergo duæ diutiſſimè præ oppidulo illo cunctantes, quod acciderat, facilè opinatę, viam carpere pergunt: & cœcis exploratoribus cum homine quodam ruſtico, quem quatuor argenteis domo viæ ducem eduxerant, gratulantibus occurrunt.

Vbi Salmanticam peruentum eſt, rebus difficillimis Virginis prudentia, ſupra opinionem, facilè, breuique compoſitis, pridiè feſti S. Michaelis anno 1573. domus incoli cœpit. Cum verò ad proximum diem celebritas ad ſacrum, & concionem indicta fuiſſet, & immenſa pluuia, perfluenſque ſa-

cellum ſpem fruſtraſſe videretur, proximi diei ſerenitas mira frequentiſſimum populum conciuit.

Cœpit igitur odore ſanctitatis domus noua fragrare, multorum affectum permouere, multas puellas nobiles accire: inter quas D. Anna de Solis, poſtea Anna à Trinitate, glorioſè mundũ, ac prodigioſè aſpernata fuit. A ſeptimo enim vſque ad decimum ſextum ætatis annum, ex apoſtemate quodam, grauiſſimos perpeſſa cruciatus, demum à Medicis brachium ſecandum monita fuerat.

D. verò Catharina de Anaia eius conſanguinea, S. Eliſabethæ Monialis aſſeueratione inſolita, puellam à Deo perſanandam, non incidendam ait: quod à Chriſto proculdubio acceperat.

Puella ergo incipit multis auſterioris vitæ deſiderijs æſtuare: quod quaſi deliramẽtum à viris quoque pijs, & prudentibus reſpuebatur: neque enim, vel diem vnum ab eſu carnis poterat abſtinere. At die quadam ſe inſperato robore diuinitùs fulciri ſentiẽs,

vo-

vouet, si sanitas à Deo restituatur, nouo se Monasterio abdituram. Quin, & feruente animo subiungit, se in voti signum, nolle vllis Medicorum remedijs vti: quod sanè præstitit, licet brachium marcescere videretur. Præualente verò fide cœpit sanari sensim, tametsi cauteria duo remanerent.

Hæc illa contemplata, consanguineos vrget, vt copiam ineundi noui status faciant; valere se. Non habetur ei fides; donec nudum brachium spectandũ producat. Exhibet igitur fide inuictissima brachium persanatum, neque cauteria vlla cõspiciuntur. Vicit mundum: & statu fælici potita est.

Conditur Monasterium octauum Albæ. Cap. XVI.

FRANCISCVS Velazquez, & Teresia de Layz nobiles coniuges, Albæ agentes, apud B. Virginem Teresiam non segniter institere, vellet Monasterio vno illos donare: quod licet mul-

tis difficultatibus prætexeretur, verbis habitis, ac ſcriptis, vltro citroque relatis, denique concluſum eſt. Qua in re licet multa notatu digna contigerint, vnum præſertim exprimendum videtur, quod ad Tereſiæ de Layz infantiam quodam prodigio velut obſignatam ſpectat.

Erat infantula triduana, nec parentibus chara, diem propè integrum ſola neglecta fuerat. Tunc mulier eius nutrix vicem cõmiſerata accurrit; & amplexatur, fletuque profuſo, ſic eam alloquitur. Num filiola mea Chriſtiana non es? alludens ad crudelẽ eius neglectum. Erigit prodigiosè caput infans, & ait: ſum certè (die quippe natali baptiſmate ſacro luſtrata fuerat) quod à multis ſtupentibus auditum fuit: nec poſteà vſque ad tempus, alijs infantulis ſolitum verba fecit.

Mater infantis obſtupuit, & ardentiſſimè amare cœpit, faſſa optare ſe vitam producere, vt exitum prodigij cernat. Accedente verò eam nuptui tradendi tempore, reſtitit: vt autem ſe à Franciſco Velazquez

expeti nouit, tametsi neq. virũ, neque tã facilis assensus causam nosset, assensũ præstitit.

Erant coniuges locupletes, ac nobiles; orbitas displicebat: Teresiaque precibus instabat, vt liberos procrearet: Apostolumque Andream plurimùm ad fœcunditatem valere monita, illum crebrò pulsabat. Nocte verò quadam in lecto iacens vocem audijt: Ne liberos cupias, quia damnaberis.

Perculit illam terribilis vox: verùm non propterea ab Apostolo interpellando destitit, donec visum lætissimum (an vigilans, an dormiens nescijt) occurrit. Obuersabatur animo domus cum atrio, cui eminebat ambulatio quædam, sub qua puteus, & pratum lætissimo virore, floribusque omnem orbis amoenitatem pulchritudine, atque candore superantibus sparsum: & propè puteum Apostolus Andreas aspectu decorus, & venerabilis admodum, qui Teresiam intuentem mirificè oblectabat, & sic alloquebatur: Meliores sanè filij sunt hi, quàm quos expetis: quo certè visu liberorum desiderium extinctum est.

Vocatur ergo Albam, vt vnà cum Francisco coniuge ibi moretur, nam inde priùs aberat, & domum ab illo fortuitò emptam intuita, eandem prorsus esse, quam per visum Andreas Apostolus indicarat, demirata, in Monasterium deniquè à sacris Virginibus incolendum donat, quod 25. Ianuarij anno 1571. conditur.

Sic pratum cælesti virore virtutum, quæ nunquam elanguent, & purissimo Virginitatis candore, B. Virgo Teresia exornauit: & coniuges pij locum donis auxerunt, vbi sepulti iacent.

Deductæ sunt eò Moniales Agnes à Iesu, Ioanna à Spiritu sancto, quæ loco præfecta fuit, Guiomàr à Iesu, Maria à Sacramento, Thomasina Baptista, Maria à S. Francisco, & multa virtutum æmulatione certatum est. Biennio hic à condendis Monasterijs, Albæ negotio peracto, cessatur.

Mo-

Modus iter agendi, quo B. Virgo Teresia vsa est. Cap. XVII.

ERAT mos B. Virgini Teresiæ viam inituræ, nisi peculiaris necessitas perurgeret, eas tantùm sorores secùm ducere, quæ impensiùs id optarent: quibus suauissimis verbis gratias agebat, & sacra synaxi sub discessum roborabat.

Ne verò procacibus iuuenum verbis (vt fieri solet) impeterentur, si detectæ, aut inopiam multam exhibentes, apparerent; exquirebat currus vrbanos, aut lecticas, vel si deessent, plaustra benè tecta, veloque demisso, cum opus esset, loqui præscribebat.

Efferebat secum campanulam, qua signum orationis, & silentij æquè ac in ipso Monasterio daret, comitesque omnes, ne dum orabant obstreperent, auctoritate, ac muneribus agebat.

Vt in hospitium peruentum erat, ianuæ præficiebat vnam ex sororibus: quod si ho-

ſpitium eſſet inops, qua poterat ſtragulis, pannouè rudi prætenſo, ſocias includebat; & qui ſacrum faceret, ac ſacras confeſſiones audiret, nunquam deeſſe, ſtudioſiſſimè curabat.

Profectò Monaſterij perfectam repræſentabat imaginem, in ipſis quoque locis veræ pietatis expertibus: cum tamen rebus diuinis cor adeò gereret intentum; vt niſi ſocias curaret, quod ad ipſam attinebat, potiùs diuerticulo aliquo ad animum relaxādum, quàm religionis incitamentis indigeret.

Semper enim Dei præſentiam ſublimiſſimam menti altiùs impreſſam pertractabat, nec hominum ſocietate, vel ſolatijs egebat. Omnium tamen laborem, & itineris tædium, arrepta vndecunque diuinorum ſermonum ocaſione, lepidiſſimè eleuabat.

Et quidem tametſi libentiùs latuiſſet (erat enim ſolitudinis auidiſſima) Generalis tamen, vt quotquot liceret, Monaſteria conſtrueret, iniunxerat: & quod pluris eſt, Chriſtus ipſe itinera perſuade-

bat,

bat. Præter eam quippe adhortationem, qua Malagoni Virginem ad Monaſteria maturanda impulit, anno quoque 1571. ad medium Februarium ſic currentem incitauit. Conare, expende, quale tibi auxilium porrigam: volo coronam hanc pares: antequàm obeas, Virginis ordinem valde prouectum intueberis.

At multi, qui æternum illud incendium, quo eius animus ardebat, vt Chriſti gloriam amplificaret, ignorabant, & ſexum fœmineum (non virilem animum latentem) expendebant, identidem de tot itineribus perperam opinabãtur, & obtrectabãt.

Verùm hoc, antequàm Virgo teſtatiſſimam mundo ſanctitatem exhibuiſſet, licet non laudari, excuſatione tamen aliqua obumbrari potuit: nunc verò illuſtriſſimum ſanctitatis, & magnanimitatis exemplar in muliere vna, totus ferè orbis, ab ijs præſertim itineribus laudat, quorum fructus vberrimos carpit.

LIBER TERTIVS.

B. Virgo Teresia præficitur Monasterio Abulæ mitigato. Cap. I.



NNO 1571. Abulæ Monasterio condito, B. Virgo Teresia Salmanticam regressa, Moniales illas indigas admodùm solata est: vnde Medinam petijt, vt litem quandam componeret. Vbi cum Patres mitigati, quibus Monasterium suberat, diuersè opinarentur; Prouincialis, cuius opinio multis ex capitibus B. Virgini Teresiæ probata non fuerat, sub acribus pœnis (nescio quo spiritu affatus) illam vnà cum alia, quam contra ipsius Prouincialis sententiam Monasterio, vti ea functione dignam, præfecerat, Medina intra eundem lati præcepti diem excedere iubet: quandam aliam Monialem sententia sua ad modicum tem-

pus alijs præponit: ac per annum dimidium Monaſterium Superiore vacat.

Obtemperat eueſtigio obedientiæ deditiſſima Virgo, eodemque die veſperi, quantumuis ſerum incumberet, temporiſque inclemẽtia (ſumma quippe hyems erat,) morbi graues, ſacrarumque Virginum parentẽ ſuam dulciſſimam abire ægrè ferentium lachrymæ obſtarẽt, Albam diſcedit. Deſtinauerat autem per id tempus Summus Pontifex Pius V. Ordinum Viſitatores, & P.F. Petrus Fernandez ex Dominicanis, vir ſanctitate, prudentia, & doctrina celebratus Carmelitanis Viſitator obtigerat: qui tametſi B. Virginem Tereſiam ex fama noſſet, viſam tamen impotenter amauit, & non quaſi mulierem, ſed tanquam virum fortẽ commendauit. Patri quippe F. Dominico Bannes Dominicano ſic aliquando facetè reſpondit: Acceperam Tereſiam fœminam eſſe, at vir bene barbatus eſt, virilem ſcilicet animum, & mores eò tropo ſignificans. Qui tanti eam in poſterùm fecit, vt cum viros graues illi, die quadam, detra-

Alij reſponſum hoc Patri F. Ioanni Salinas Prouinciali Dominicano tribuunt

hentes audiret : Non inquit, hoc feram: quod ſi obtrectare pergatis, abſcedam.

Pater hic planè grauiſſimus, cum Medinæ Patres Carmelitas viſitaſſet, & parùm liberales erga Virginem comperiſſet, Abulam venit, & Virginem ſuffragijs Monialiũ Medinæ Monaſterio, à quo eiecta fuerat, præponit: vbi tres duntaxat menſes præfuit.

Idem quippe Viſitator, Incarnationis Monaſterio mitigato illã præfecturus Abulam reuocauit: quod ægerrimè tulit. Cum enim in nouos fœtus ſuos alendos incumberet, ad diſciplinam leniorem elimandam, nouo labore, alieniore, ac moleſtiore retrahi durum ſanè videbatur.

At à Chriſto ſic extimulatur. Orabat illa in eremitica cella pro Fratre quodam ſuo ad ſalutis diſcrimen adducto, & ſic cõqueſta eſt: Profectò Domine, ſi fratrem quempiam tuum in hæc pericula coniectũ intuerer, quiduis arduum pro eo liberando ſtatim adorirer. Cepit illam Chriſtus argumento ſuo argutè reuictam: Fratres mei ſunt, ò filia, animi, qui in Monaſterio Incar-

nationis agunt, & tamen tu eò ire, ac ſalutis eorum curam gerere cunctaris. Nunc ergo aude: expende rem mihi gratam te facturam: nec tam eſſe arduam, quam exiſtimas: & hoc ipſo Monaſterijs mitigatis, & ipſis recentibus, quorum iacturam pertimeſcis, maius bonum acceſſurum: ne prouinciam recuſes, omnia quippe poſſum.

His hortationibus erecta, Viſitatori expeditè obtemperauit, & poſt quatriduum in Monaſterio S. Ioſeph (licet iam idem antè vouiſſet) ne quid ex Monaſterio mitigato, quò ibat, hæreret, his verbis conceptis, quibusuis regulæ mitigationibus per Summos Pontifices indultis ritè renunciauit.

Ego Tereſia à Ieſu Monialis Dominæ noſtræ de Carmine in Monaſterio Incarnationis olim profeſſa, nunc verò in Monaſterio ſancti Ioſeph, Abulæ degens, vbi regula primæua obſeruatur, quam Reuerendiſſimi P. Ioannis Baptiſtæ conceſſu, hucuſque obſeruaui, & vt vbique (tametſi ad Incarnationem à Superioribus reuocarer) obſeruarem impetraui, profiteor meum ani-

mum esse, per totius vitæ cursum in hoc proposito persistere, ac ita voueo; mitigationibus vniuersis, quas Summi Pontifices indulserunt, nuntium remitto. Deoque fauente, ad mortem vsque sic perseuerare decerno: ac ita subscribo 13. Iulij 1571. Teresia à Iesu Carmelitana.

Professionem hanc P. Visitator admisit, & à Monasterio Incarnationis exemptam recenti Salmanticæ Monasterio inter reliquas (quas appellant conuentuales) ascripsit, tametsi Monasterio Incarnationis Visitatoris ipsius, & Patrum Carmelitarum suffragijs creata præesset.

Ducitur ergo ad Monasterium mitigatum, vbi mirum dictu est, quantum fuerit excitatum incendium. Nonnullæ ex modestioribus obtemperant, aliæ validè reluctantur, vocem extollunt, conqueruntur, à viris Vrbis nobilibus adiutæ reclamant: Prouincialis verò, qui Virginem deduxerat, Monialibus in Chorum conuocatis, lecto præcepto, animos compescit.

Incendiũ sensim deferbuit, & cana Vir-

ginis prudentia ſic animos infeſtiores, temporis proceſſu, ſibi conciliauit; vt cum acceſſus non omnibus placuiſſet, inſtantis diſceſſus omnes pœniteret.

Laborabat victus penuria, & animorum tepore Monaſterium, & (quod olim domui Laban ob Iacob, & Putipharis ob Ioſeph Gen. 30. Gen. 39. accidit) bonorum cæleſtium, & familiarum copia ob Virginem præſentem affluxit.

Vt primùm verò Monaſterij curam ſuſcepit, Beatiſſimæ Virginis imaginem, in ea chori ſede, quæ Superioribus decreta eſt, collocauit: quod acceptiſſimum ſibi fuiſſe Cæli Regina, lætiſſimo viſu, domus fælicitatem pollicita, demonſtrauit. Pridie quippe feſti clariſſimi Martyris Sebaſtiani, dum Antiphona (Salue Regina) in choro cani inciperet, in ſedem ipſam, vbi poſuerat imaginem, clementiſſimam Cæli Reginam plurimorum Angelorum comitatu ſeptam è cælo labentem, atque in ſede quieſcentem vidit. Angelos ſedium aliarum capitibus incumbentes, & velut ſpectaculo miro intentos conſpexit. Vbi Cæli Regina dul-

cis-

cissimo sermone sic Teresiam affata est: Rectè egisti, dum in sede hac me collocasti. Ego sanè interero laudibus, quæ Filio meo hic reddentur, easque illi ego ipsa offeram: & hac certè ope munita ad arduum gubernationis opus animum erexit.

Etsi verò noua hæc administratio curam, & sollicitudinem multam ad ruinarũ instaurationem exigeret; animus tamen ille Apostolicus omnia ex eo claustro loca perlustrabat, omnibus prospiciebat, omnia fœcundabat.

Nouum Monasterium S. Ioseph Segobiæ conditur: Monasteriũ Pastranæ deseritur. Cap. II.



POST annos illius administrationis duos, flagitantibus Salmanticæ Monialibus, quas multæ incommoditates obsidebant, P. Visitatoris iussu eò migrauit: vbi cum oraret, Christus præcepit, Segobiam commearet.

Res penè inaccessa videbatur: scribit tamen P. Visitatori, qui tametsi diuersè censuisset, literis lectis statim annuit. Et Episcopi Segobiensis D. Didaci Couarruuias facultate impetrata, domoque conducta, mense Martio, Elisabetham à Iesu, & Mariam à Iesu Segobienses secum abducens, Alba, Abulaque pertransiens, vndè duas alias euocauit, Segobiam, pridie quàm Monasterium conderet, ingreditur.

Die igitur, qui sanctissimo P. nostro Ioseph sacer est, anno 1573. primo sacro facto, & Eucharistia ibi reposita, Sanctique nomine indito, Monasterium erectum est.

Aberat Episcopus, & Vicarius rerum ignarus, vt quæ contigerant, resciuit, vehementer excanduit. Festinat, & Sacerdotē, qui fortuitò sacrificabat, obiurgat. Iulianus de Auila indiuiduus B. Virginis Teresiæ comes sub scalam se abdit, irritamentum iræ subtracturus. Patrem demùm F. Ioannem à Cruce, qui eò cum B. Virgine Teresia venerat, iratus increpuit: quem (nisi per sacros canones exemptus foret) in

car-

carcerem proculdubio detrudi iussisset. At interdicit locum, & Sacerdotem, qui Sacramentum absumat, quantocyùs mittit.

Monet B. Virgo Teresia Rectorem è Societate Iesu, qui Vicarium, implacabilē offendit. Accedunt primores aliqui, & aliquantum mitescit, aiens, velle sibi testes facultatis ab Episcopo obtentæ produci: quo denique conquiescit, sed Sacramentum ibi asseruari vetat.

Sedata ergo procella, Iulianum de Auila, & Antonium Gaytan, itineris comites modestissimos, & fidissimos Pastranam B. Virgo Teresia destinat, vt omnes indè Moniales Segobiam deducant. Erat quippe Monasterium illud laxitatis periculo obnoxium, ob Principum licentiam, quibus instantibus ægrè repugnari posset: & alto mundi despectu sæculi legibus parere nolens, liberrimè Monasterium deseruit.

Vt ergo Pastranam peruentum est, vnus è duobus Sacerdotibus Sacramentum sumit, & captato noctis mediæ tempore, plaustris in loco tuto aduentum præstolan-

tibus Moniales loco deserto recedunt, & Segobiam peruectæ lætissimè excipiuntur.

Annum dimidium ibi demorata, toti Vrbi summoperè profuit: Virtutis decor animos cepit: puellas multas ingenuas, quarum dotibus breui propria domus empta, & instructa est, suauissimè allexit.

Cum verò paucissimi dies, ad curæ quã in Monasterio Incarnationis susceperat, tẽpus explendum superessent; licet ægrè proficisceretur, Elisabetha tamen à S. Dominico, quæ Pastranæ præfuerat, Segobiæ præfecta, Abulam discedens, curam loci mitigati deponit: & Monasterio S. Ioseph, multa gratulatione præponitur.

Conditur Monasterium decimum oppidi Veàs. Cap. III.



INTERIM dum B. Virgo Teresia adhuc Monasterio Incarnationis præposita, Salmãticæ versabatur, D. Catharina Godinez, ex oppido Veàs,

quod ad Bæticæ confinia ſitum eſt enixè poſtulauit, eò contenderet, vt Monaſteriũ inſtitueret.

Res difficillima viſa eſt: at ne antiquo Generalis præcepto, quod animo hæſerat, reniti videretur, P. Viſitatori eaſdem literas, quas ea de re acceperat, mittit.

Reſpondet tam pijs votis annuendum eſſe: at ſcriberet, ſe poſt obtentam ordinarij veniam ituram; quod Viſitator deſperabat; alioqui fortaſſe non aſſenſurus: ſed venia obtenta eſt.

Prodigioſa multa contigere, quæ à ſuo ſunt ducenda principio. Erat in oppido vir perilluſtris Sancius Rodoriguez de Sãdouàl, cui vxor D. Catharina Godinez, ex qua ſuſceperat filias duas D. Catharinam Godinez, & D. Mariam de Sandouàl, quæ Monaſterium inſtituerunt.

D. Catharina ergò, quę natu maior erat, quatuordecim annos agens, mundo addictiſſima (quæ quantumuis nobilitatem, ac opulentiam, velut imparem ſibi aſpernaretur) quo tempore pater eam nuptui trade-

re parabat, die quadam, præter ſpem, crucis è qua effigies Chriſti pendebat, titulum legens, & effigiem contuens, adeò vehemẽter commota fuit, vt momento penè vno, vanitatem exueret, nouam Chriſti formam indueret.

Lux mentis clariſſima, penitiſſima propriæ fragilitatis cognitio, ardentiſſimum patiendi deſiderium, humilitas altiſſima, ſuique tædium intimum vno velut agmine, vno cõniſu extiterunt. Eodẽ calore caſtitatem, & paupertatem diuinitùs impulſa vouit, & obedientiæ amor tantus erupit, vt libentiſſimè ad Saracenos ſe pateretur abduci, modò poſſet ibi aliorũ voluntati parere.

His motibus diuinis, vno partu editis, cũ illa agitaretur, ſtrepitus, loci tremores, mugitus ſupra cubiculum, vbi latebat, paulò minus, domum labefactarunt, vt non abs re pater in proximo cubiculo terreretur: dæmones enim ſubitam illius cordis mutationem ferre nequibant.

Ex eo die fauſtiſſimo, per triennium ſtatis horis, orationi vacare, corpus quã ſeue-

rè poterat, affligere, vultum aqua perfusum soli expositum deformare, & sublimem mundi contemptum præferre curauit.

Impresserat eo momento Deus animo illi ardentissimum status monastici desiderium: at incassùm à parentibus consensum expetebat. Exactis ergo annis tribus, die quadam insperata, ne quis prohiberet, vestem modestissimam die sanctissimi P. nostri Ioseph induta petijt Ecclesiam, & per quadriennium asperrimè carnem macerauit: vt aliquando lorica ferrea, pro subucula puella fortis vteretur: & crebrò in oratione pernoctaret, cum ea quies, per diem, interdiceretur.

Post hæc quoque clementissimus Deus, vt opus illud suum absolueret, morbos grauissimos, comitialem, hydropem, febrem perennem, carbunculum, & alias affectiones molestissimas immisit, quæ per septēdecim annos, paucorum dierum inducias permiserunt.

Quinquennio verò à primis morbis elapso, pater obijt, mater (vt erat pia) ad mundi

despe-

despectum, copiam latissimam fecit, vt spreta nobilitate, puellas inopes educaret. Interijt autem, & mater.

D. Catharina ergo de statu monastico seriò agit, & per annos quatuor, vt veniam Monasterij condendi ab ordinum consilio impetret, luctatur: cum tamen hectica febre laboraret, phthisica, & hydropica esset, & hepatis incredibili ardore, arthritide, & ischiade affecta per annos octo, in lecto, ne vertere se, quò vellet, potuisset.

Irridetur propositũ à consanguineis, aiẽtibus à nullo Monasterio mulierem grauissimè ægrotantem admissum iri.

Respondet fortissimè, si Deo propitio, intra mensem conualeo, perspicietis certè, quod expeto, Deo probari: Monasterium extruatur: ego ipsa in regiam curiam, veniã obtentura, contendam. Orat ergo impensissimè, vt Deus, vel Monasterij desideriũ, vel morbos extinguat. Audit interiùs, certò sperandum se, quò dixit ituram: & ante mensem expletum, pridie festi S. Sebastiani, subito tremore, quo animam efflare vi-

debatur, correpta, ferè temporis puncto (mirum ſanè dictu) perfectiſſimè conualuit.

Vt autem in curiam peruenit, cum per menſes tres nihil à conſilio impetraſſet, ſupplici libello Regem ad ſua vota perduxit.

Reuerſa iterum ægrotat, vt res deſperanda videretur: iterum orat, vt aut vota, aut morbi expungantur, & vocem intrinſecùs audit: crede, ac ſpera: omnia poſſum: & alia quibus cor erectum eſt, literaſque B. Virgini Tereſiæ mittit.

Feſtinat illa, Abula, Toletoque tranſiẽs, & aliquot Moniales educens, eò ire pergit.

Sed cum graui ęſtuans febre Malagono in oppidum Vèas ſe conferret, quo pacto, inquit, Domine (Deum quippe orabat) ęſtũ hunc ferre potero? & extemplò ad pręſentiſſimum Dei auxilium conſtanti fide poſtulatum febris euanuit.

Vt verò domum D. Catharinę, ac ſororis eius, quam idem Monaſterij tenebat deſiderium, ventum eſt; dici nequit, quàm lætę gratulationes, quot gaudia concreuerint. Tunc enim D. Catharina eam Religionem

auidissimè spectauit, quam ante annos multos per visum cognitam ardenter amauerat.

Die igitur S. Apostoli Matthię, anno 1574. Monasterium S. Ioseph de Saluatore erectum est. Duę sorores (opibus Monasterio sic donatis, vt tametsi admitti nollent, eas minimè repetere possent) eodem die indutę: altera Catharina à Iesu, altera natu minor Maria à Iesu nuncupata est.

Catharina vegeta iam, & valida inter eas (quas laicas, seù conuersas vocant) recenseri maluisset, sed à B. Virgine Teresia correpta fuit: & posthac dum pręesset illi loco, sanctitate clara è vita migrauit.

Monasterio ergo recenter instituto Annam à Iesu B. Virgo Teresia præfecit, & opus mirum absoluit.

Conduntur duo cœnobia Fratrum Manzeræ, ac Pastranæ. Cap. IIII.



VM ſtructura hęc, architectonica B. Virginis Tereſię arte conſurgens, ſexu conſtet vtroque, & res ipſę mutuò conſertę, non poſſint in ſedes longè ſeparatas abduci, quamuis animus eſſet, Fratrum cœnobia Monialium Monaſterijs non intercalare, hiſtoriæ potiùs perſpicuitati ſeruiendum eſt.

Illud verò in primis ponendum, ab eadem Virgine Fratrum quoque fuiſſe fundata primordia, quemadmodùm è cap. 6 ac 9. ſecundi libri, vbi duos Patres excitauit, perſpici poteſt.

Cum ergo Medinæ agens P. F. Antoniū de Heredia, poſtea F. Antonium à Ieſu, & P. F. Ioannem à Cruce ſuſcitaſſet, anxiè Deum orabat, loca opportuna principijs prouideret: & anno 1568. antequàm Valliſoletum peteret: cum eſſet Abulæ vir illu-

ſtris D. Raphael de Abula Mexia, qui Fratrum cœnobia parari cognouerat, B. Virgini Tereſiæ exiguam domum in oppido Duruelo Abulæ vicinò, promittit.

Excepit rem exiguam libenter: & Medinam tendens locum inopem, tribus, quatuorue cubiculis breuibus diſcretum obiter explorat: ex quibus vnum ſacello, alterum choro, aliud cœnaculo, aliud denique cellis aſſignat.

Vt vero Medinam venit, cum P. Antonio de ineundo nouo ſtatu agit. Annuit lubens ille; Patrem verò F. Ioannem à Cruce ſecum Valliſoletum ducit: interimque dum domuncula inſtruitur, de Monialium diſciplina illum viæ comitem diſertè certiorem facit, ac monet, vt eandem in virorum cœtibus accuratiſſimo culturæ genere ſerat.

Veniam verò à duobus Prouincialibus (quod Generalis iuſſerat) ad nouum inceptum, victis pleriſque difficultatibus, impetrat. Rebus ergo maturatis, P. F. Ioannem à Cruce, vti filium primogenitum, in oppidulum Duruelum præmittit, vbi fide ac læ-

titia incredibili domunculam instruit: mitioreque anteactæ vitæ veste posita, rudiorem Discalceatorum vestem induit: quam vsque ad supremum halitum gestare decernit. Mox P. F. Antonius prælationi suæ (erat enim Carmelitarum Medinæ Prior) renuntians, lætus in nouum cœnobiolum venit, vestemque permutat: atque ideo vterque regulam primæuam se obseruaturum vouet. In hunc ergo modum, primũ virorum cœnobium conditur, vbi B. Virginis Teresię auspicijs, tertia Dominica Aduentus 1568. primum sacrum factum est.

Ex eo verò loco exiguo, ac nimis incommodo, vbi aliquandiù orationi, ac austeriori disciplinæ, cum proximorum bono minimè vulgari, duo Patres institere, Manzeram, oppidũ scilicet propinquum commigrant, vbi D. Luysius de Toleto, Ecclesiam cum Beatissimæ Virginis imagine pulcherrima, è Flandria eò perlata dono dedit. Atq. ita Duruelo relicto, Manzeræ cœnobium conditum est.

At deerat aqua: de quo cum P. F. Anto-

nius à Iesu Prior in claustro cum Fratribus ageret, baculo, quem manu tenebat, terræ illiso, ait: effodite hic terram: & inde aquam copiosam, & salutarem hauserunt.

Anno autem 1569. cum B. Virgo Teresia Pastranam, ad Monasterium (de quo superius egimus) instruendum peteret, Madrito transiens, à D. Leonora Mascarenas in Monasterio Ordinis sancti Francisci excepta, accepit, adesse Eremitam quendam, natione Italum, virum doctum, ac prudentē, nomine Marianum à sancto Benedicto, ac Fratrem quendam eius comitem, cui nomen Ioannes à Miseria, qui in Eremo Tardon Hispali vicino commorati, cum illud institutum à Concilio Tridentino interdiceretur, Romam, vt veniam, ibi persistendi obtinerent, iter facere decreuerant.

Conuenit igitur P. F. Marianum B. Virgo Teresia, regulaque, & Constitutionibus ostensis, efficaciter rationibus conuictum, consilio mutato, locum à Principe Ruy gomez Pastranæ ad cellas Eremiticas illi Patri donatum, cœnobio destinat: & duo-

rum Prouincialium Carmelitarum consensu impetrato, P. F. Antonium à Iesu Manzera euocat, vt operi nouo lætus intersit.

Tunc ergo à P. F. Balthasare à Iesu (qui erat è mitigatis, & vt cœnobij propositum cognouit, sponte sua Pastranam venerat, vt nouum institutum arriperet quod statim præstitit) F. Marianus, & F. Ioannes, vt Fratres laici induuntur: neque enim P. F. Marianus, vt altiora cogitaret, induci potuit, donec temporis excursu à Superioribus coactus fuit. Ac ita & Conuentus Fratrum, & noui fœtus, dum B. Virgo Teresia in eodem oppido Monialium Monasterio erigendo vacat, Pastranæ dedicantur.

Cœnobia hæc duo fœcundissima fuere; modicoque tempore interlapso, Patres aliquot doctrina, & prudētia clari nouum institutum illustrarunt: quo in agmine P. F. Hieronymus à Matre Dei, P. F. Ioannes à Iesu, P. F. Gregorius Naziãzenus, cũ laude recensentur.

Con-

Conditur Hispali vndecimum Monasterium S. Ioseph. Cap. V.

NOVA gens Prælato proprio carebat, Patribusquemitigatis obtemperabat: Deique consilio, P. F. Hieronymus à Matre Dei, quē nuper meminimus, licet non valde antiquus instituti Monastici cultor, doctrina tamen, & alijs dotibus insignis, Patribus Carmelitis Beticæ Prouinciæ Commissarius, & Visitator Apostolicus decernitur. Qui cum B. Virginem Teresiam in oppido Vèas existentem inuiseret, ex eo loco à Nuntio Apostolico accersitus, eisdem Patribus Prouinciæ Castellæ Visitator quoque præficitur.

Antè verò quàm Nuntium adiret, B. Virginem Teresiam, vt Hispali Monasterium conderet, rogauit, hoc à se postulatū, eleemosynas affuturas; Archiepiscopū fauturum causatus: cui (etsi non admodum id anteà probasset) vt morem gereret, annuit:

& ob æſtum proximum, profectionem maturauit. Ille igitur Madritum, B. Virgo Tereſia cum ſex Monialibus virtutum teſtimonio laudatis, quæ futuras aduerſitates eſſent exhauſturæ, vnà cum P. F. Gregorio Nazianzeno, qui in oppido Veas à P. F. Hieronymo indutus fuerat, & alijs itineris comitibus Hiſpalim migrat.

Plurima, & moleſtiſſima incommoda obiter ingruerunt, quibus patientia reſplenduit: Hiſpalimque triduò ante feſtum Trinitatis pertigerunt, vbi P. F. Marianus domum conduxerat: verùm negotium non ita confeſtim abſolui potuit, quàm B. Virgo Tereſia exiſtimauerat.

Nolebat quippe Archiepiſcopus Monaſteria ſine redditibus erigi; quod illa ægrè audiebat. Vrgebatur tamen à P. F. Mariano res, qui Antiſtitem precum improbitate flexit: ac ita, vt ſacrum fieret ipſa Trinitatis Dominica 29. Maij 1575. conceſſit: nomenque S. Ioſeph, inita loci poſſeſſione loco impoſitum eſt.

Parce Archiepiſcopus D. Chriſtophorus

Roxas, veniam impertitus fuerat: sed (P. F. Mariano constanter instante) mox ac B. Virginem Teresiam inuisit, & eius prudentiam, ac leporem agnouit, quidquid vellet, se præstiturum liberaliter pollicitus est.

Grauia perfert B. Virgo Teresia: & ante discessum Moniales bene collocat.
Cap. VI.



MIRVM est, Hispalim Vrbem opulentissimam, vnde Indicum aurum Europa tota mutuatur, solis Virginibus Apostolicis, diuino consilio, se inopem exhibuisse: vix enim alibi tam inaudita rerum inopia laboratum est.

Subeunt, morbi tædia, sinistræ opiniones, neglectus, aliaque acerrima experimenta, quibus illud syncerissimum virtutis aurum frequenter ictum ebituit.

Inter alia quippe tentamenta puella quędam sanctitatis opinione celebris Monasterium ingressa, & quod mores diuersos didi-

ciſſet, ad meliorem eruditionem obdurata, omnes Virgines illas grauiter afflixit, donec diſciplinæ impatiens, loco cedens, inculpatum Monaſterium in boni nominis diſcrimen, præiudicata ſanctimonia ſua, vocauit. At opitulante Deo, veritas compreſſa, oppreſſa non fuit.

Quin etiam eò multorum licentia debacchata eſt, vt inoxiam Virginem ſacro Inquiſitionis ſenatui denuntiarent: at teſtibus productis integritas vitæ præualuit.

Ipſe quoque clementiſsimus Deus, qui Virginem amantiſsimè ſolari conſueuerat, arcano cōſilio, eam hic velut oblitus interareſcere puſillanimem, exanimem, ac à ſe longè alienam ſinebat.

Longum ſanè tempus à menſe Maio ad Quadrageſimā proximi anni procurrerat, & penè nihil commoditatis, vel auxilij ſuppetebat: tempus diſceſſus inſtabat, ſolitum ergo aſylum orandi validiſsimè repetens, ſic die quadam Deum dicentem audiuit: Iam vos exaudiui: mihi fidē habete: quibus ſanè verbis rē totā abſoluiſſe ſibi viſa eſt.

Eo verò per id tempus appulerat ex India Occidentali Laurentius Cepèda B. Virginis Teresiæ germanus frater, qui sollicitè ac liberaliter ei, multis sumptibus præstò fuit. Domus exquisita est: frequentissima Vrbis supplicatione, Eucharistia ex alio tēplo, eò illata Archiepiscopus ipse amplissimo loci ornatu sacrum fecit, 3. Iunij 1576. & locus festiuissimè dedicatus est.

Accidit res mira: multi turbines ignei, ex more festorum percrepabant: & cũ puluis sulphureus, quem quidam inopinus ferebat, ignem repentinum, nescio vnde, concepisset (præterquàm quod mirum fuit, illum igne correptum non interimi) ignis flãma in altum eleuata fornices claustri adustos, ac nigros, sericũ quo tegebantur, quod leuissima flammula consumpsisset, illæsum, nitidumque reliquit.

Monialibus ergo honestiùs, & commodiùs collocatis, B. Virgo Teresia, ne proximo ęstu malè afficeretur, Maria à S. Ioseph Monasterio prępoſita sũmo cũ Virg. illarũ mœrore, ad labores nouos Hispali discedit.

Conditur duodecim Monasterium Carauàca. Cap. VII.



. Catharina de Otolora, vxor Licentiati Muñoz, vnius ex Auditoribus Consilij Indiarum cũ B. Virgo Teresia Abula in oppidum Vèas proficisci pararet, literas misit, impensè precans locum illum Monasterio vno dignaretur.

Cum enim Patris cuiusdam è Societate Iesu concionantis energia tres puellæ nobiles, & consanguineæ omnes nomine Franciscæ, vehementer commotæ mundũ abiurasset̃, & in ædibus ipsius D. Catharinæ, quę ad opus, opem suam pollicita est, secretiore loco clausæ sacrarum Virginum more, diuinis rebus se totas dedidissent, B. Virginisq. Teresiæ fama eò penetrasset; ardentissimis votis inter eius sorores recenseri cupierunt.

Hæc vt B. Virgo Teresia per nũtium accepit, mirificè gauisa, statim ire, & oppidi Vèas negotio peracto, eò festinare consti-

tuit. At P. Visitatori, Hispalim potiùs eundum Carauaccæ opus procrastinandum visum est; quo nihil mœstiùs clausis puellis potuit nuntiari.

Venia à Rege obtenta, & difficultates intereà superatæ sunt: & cum Hispali cunctari oporteret, B. Virgo Teresia, & P. Visitator, Moniales Carauaccam destinare condicunt. Mittiturque Hispali, vt præsit Anna à S. Alberto (quam secum B. Virgo Teresia, eo animo ex oppido Veas eduxerat) quæ ex Monasterio Malagoni quatuor alias designatas Carauaccam ducit: & octo ante lætissimum Christi natalem diebus ingressæ, rebus compositis, Circumcisionis festo anno 1576. Monasterij, cui nomen S. Ioseph impositum est; iure potiuntur.

Tres ergo puellæ sanctitate prouectæ Francisca à Matre Dei, Francisca à Cruce, Francisca à S. Ioseph, veste sacra induuntur, & tempore decreto profitentur. Annos verò quatuor à condendis Monasterijs cessatum est.

Dum per annos quatuor à Monaſterijs fundandis ceſſatur: grauia mala ingruunt. Cap. VIII.



ON ſe continere valebat humani generis ſæuiſſimus hoſtis, & ædificium, quod æquis lateribus fauſtè ſurgebat, euertere nitebatur.

Dedit literas ad Generalem B. Virgo Tereſia, ne plura Monaſteria conſtrueret: at renuit ille, malle tot conderentur, quot capillos haberet.

Patres verò mitigati comitia interim generalia celebrant, & præcipiunt, ne vlteriùs pergat: optet quod malit Monaſterium, ibique reſideat: multaque minùs æqua ad Generalem perferuntur.

Exegerat B. Virgo Tereſia tres (vt diximus, plationis annos, & Incarnationis Moniales, quę ingreſſui validè obſtiterãt, egreſſum tãtoperè timuerũt, vt rursùs penè omnibus ſuffragijs ſibi præponi cõſpirauerint.

Expleuerat officium P. F. Petrus Fernandez Visitator, à quo facilè res impetrata fuisset: Patres verò mitigati, quibus tunc parendum erat, iustis fortasse de causis abnuerunt. Moniales instant apud Regem, & Nuntium Apostolicum, sed nihil obtinent.

Cum verò P. F. Hieronymus à Matre Dei Hispali cœnobium extruendum curaret, Nuntius ex Summi Pontificis mandato Visitatores decreturus, eundem Patrem totius Beticæ Patribus Carmelitanis præfecit: quod ille munus præclarè gessit eodem tempore, quo B. Virgo Teresia Hispali agebat.

Patres verò illi parum decere arbitrati sunt, se inter quos viri doctrina, & prudentia nobiles sunt, à iuniore admoneri. Quod licet P. F. Hieronymus, vt eis gratum faceret, libenter accepisset, tantum abfuit vt à Nuntio permitteretur, vt consultò accersitum Prouinciæ Castellæ Discalceatis sexus vtriusque præposuerit.

Dum hanc functionem strenuè obit, &

Vallisoletum petit, Patres Carmelitani à Philippo Epõ Placen. ac Nũtio (illius, qui P. F. Hieronymum præfecerat, successore) prætexentes Discalceatos nolle Generali obedire, ac excommunicationis vinculo innexos esse, literas obtinent, vt eos ad obedientię obsequium adigant. Quod vt P. F. Hieronymus rescit, Nuntium conuenit, à quo seuerè obiurgatus, se in terrã prosternens, sine vlla prorsùs excusatione correptionem admittit: & in cœnobium quoadusque lis dirimatur, se abdere iubetur.

Rex quoque, & Generalis adeò malè monentur, vt Generalis qui priùs propensissimus fuerat, longè alienaretur, & ad Ordinis pacem tuendam, Discalceatos extingui oportere censeret. Omnia sanè nutare videbantur, cùm Nuntius hoc vitæ genus extirpare conatus, grauiores è Patribus Discalceatis, censuris Ecclesiasticis, carcere, pœnisque alijs exerceret.

Interdixit ne vllum negotium attentarent. Patrem Carmelitanum F. Angelum de Salazar eis Visitatorem præfecit: ac

deni-

denique res penè ad extinctionem acta est.

Angebatur maximè B. Virgo Teresia, ob innoxios presertim Patres, malè vexatos, & oratione perenni, ieiunijs, exercitijs virorum quoque grauium, & Principum auctoritate literis potissimùm ad Regem datis, quæ vim magnam habebant, sic rem promouit, vt Rex non Nuntium solum, sed quatuor alios grauissimos Patres, de causa sententiam ferre decreuerit.

Vbi sic cœptum est, & inter Iudices P. F. Petrus Fernandez Dominicanus B. Virgini Teresię deditissimus designatur, causam se obtinuisse gratulata est: quod ex sententia cessit: Nec Rex Catholicus hoc tantum præstitit beneficium; sed cum Generalis Visitatorem, vt culpas discalceatorum inquireret, ac eos extirparet, destinasset, officio fungi minimè passus, nomine suo, iustis de causis, à Gregorio XIII. Pont. Max. vt à mitigatorum Patrũ subiectione Discalceatos eximeret, & soli Generali parerent, postulauit.

Liberaliter indulsit Summus Pontifex

& P.F.Ioanni de Cueuas Dominicano viro grauissimo literis Apostolicis 20. Nouember 1580. expeditis, hæc res demandatur: comitijsque anno proximo, quarta Dominica Quadragesimæ Cõpluti coactis, Prouincia erigitur, & separatur: cui P.F.Hieronymus à Matre Dei præficitur; ac fluctus tanti sedantur.

Conditur Monasterium XIII. in oppido Villænouæ de Xàra. Cap. VIIII.



Aeuierat per annos quatuor procella, demumque resedit: & labor intermissus à B. Virgine Teresia resumptus est. Ex quo enim ãno 1576. Toleti in Monasterio condendo laborauerat, monita fuerat, annueret votis nouem Virginum, quæ in oppido Villænouæ in locum vnum sponte abditæ, miro virtutum exemplo lucebant.

Res implexa visa est: inter alias quippe rationes, censuit mulieres alijs institutioni-

bus ſemel imbutas, recens lac ægrè ſuctu-ras.

Doctor tamen Velazquez, Patres F. Antonius à Ieſu, & F. Gabriel ab Aſſumptione, rerum conſcij, opus probabant. Quin & Chriſtus ipſe renitentem corripuit: cui B. Virgo Tereſia libenter ceſſit, & poſito timore in opus incubuit.

Eduxit Toleto Annam à Matre Dei, vt præeſſet Malagono, poſtmodùm Eluiram à S. Angelo, Annam quoque à S. Bartholomæo ſociam indiuiduam (quam poſteà nunquam dimiſit) & ſic à Patribus Antonio, & Gabriele, ex oppido Malagoni, Villam nouam, modeſtiſſimo, ac lætiſſimo comitatu ductæ, vicinos populos vſque ad ſtuporem exciuerunt.

Cum enim B. Virginis Tereſiæ fama tam inſigniter claruiſſet, mox, vt eam illac tranſituram accepere, adeo frequentes concurrerunt, vt in oppido Robledo, cuſtodes ad turbam arcendã deſignari oportuerit: tametſi eis inuitis ſe per parietes gens auida ſaltu libraret.

Profectò non austerè arcenda erat: incredibili enim spectandę Virginis desiderio loca quisque præripiebat; mirabatur, gratiam inire curabat.

Res eum g ita fuit, & Parentes non liberos tantùm, sed armenta consultò illuc acta B. Virgini Teresiæ ob oculos statuebãt, vt illa benedictione faustâ fœcundaret. Tanta fuit Teresiæ existimatio.

Diuertit obiter in cœnobium Fratrum Discalceatorum, quod in Eremo à muliere sanctitate celebri D. Catharina Cardona oraculo cond tum fuerat. Quam, dum ibi moraretur, in ecstasim elata, in Angelorum comitatu, gloriosam, & hortantem, vt Monasteria instituere pergeret, intuetur.

Vixerat diu Catharina in antro quodã, per quod in cœnobium patebat aditus; inaudito austeritatis genere, orationis studio, mundi contemptu: quippe quæ cum esset nobilissima, se quasi vilem, & obscuram hominum aspectibus eripuerat. Quæ cum cœnobium instituere optaret, nec gentem nosset, per visum edocta, candidum pallium

cernit: audiensque Pastranæ cœnobium cōditum, eò progressa, veste illa donata, regreditur, & domum eius institutionis construit.

Villam nouam ergo B. Virgo Teresia hinc profecta 21. Februarij, anno 1580. peruenit: ac festiuissimè excepta, frequenti supplicatione Monasterium S. Annæ, diutissimè à nouem Virginibus expectata, ineffabili gaudio subiuit. Explorauit ingenia, virtutes admirata est, quas (vt aiebat) pluris quàm redditus amplissimos fecit, & eruditionis suę accessionibus auxit.

Hic dum faber rotam ad aquam è puteo hauriendam adaptaret, manibus elapsa proximam Virginem tam valde læsit, vt ictu prosterneretur: quam faber attonitus sic spectabat, vt eam subleuare non auderet: inopinatus enim euentus illum perturbauerat. Tunc Virgo illa sa se subrigit: & cũ esset sãctissimi Patris nostri Ioseph profestum, miraculo versum est, ictu grauissimo non fuisse peremptam.

Conditur XIV. Monaſterium Palentiæ. Cap. X.



X oppido Villæ nouę Toletum, indè Valliſoletum B. Virgo Tereſia diſceſſit. Quippe D. Aluarus de Mendoza Palentiæ Epiſcopus, in Vrbe ſua Monaſterium expetierat, & iter per Vrbes illas ad rem erat.

Valliſoleti tamẽ morbo adeò graui correpta eſt, vt quaſi proximæ mortis imago ſubierit. Cum verò conualeſcere cœpiſſet, acriter ad Palentinum opus ab alijs vrgebatur: quod illa nonnullis de cauſis ægrè audiebat. Verùm re cum viris ſapientibus P. Balthaſare, ac Hieronymo de Ripalda Cõfeſſarijs ſuis è Societate Ieſu communicata, & quod maius eſt, poſt ſacram ſynaxim die quadam ſic à Deo impulſa: Quid times? quando tibi defui? idem profectò ſemper ſum: ne Monaſteria reſpuas: animo reſum-

pto,rem aggredi decernit, nec adhuc firma valetudine Vallisoleto discedit.

Loco igitur à Canonico Reynoso, quē per literas admonuerat,parato,eò profecta, postridiè festi SS. Innocentium Monasterium,cui S.Ioseph titulus inditus est,erexit: proximoque die Episcopus dedicationem gratulaturus eò venit: amplam eleemosynā erogauit : & vrbs tota mirum in modum gauisa est.

Gentis ingenium placuit, vt in dies singulos B.Virgo Teresia, ob Monasterium erectum lætaretur vberiùs. Cœpit ex more domum propriam inquirere (nam primam conduxerat;) & cū opera nauaretur, templum B.Mariæ de Via, cum continentibus domibus, locus idoneus videbatur: prætextis tamen difficultatibus,de alio agi cœptum est. Quod cùm B. Virgo Teresia ambigeret,an Deo acceptum esset,intùs verba hęc, sub sacram Eucharistiam, audiuit: Hęc(scilicet B.Mariæ Ecclesia)tibi expedit: multa quippe crimina in eo loco patrabantur, quæ Monasterij sanctitate erant

expurganda : & cum hæsitaret, an verba Christi forent, audiuit : Ego sum. Quo demum oraculo conquieuit, & secundi loci curam deposuit.

Templo ergo Beatissimæ Virginis de Via comparato, Episcopus Palentinus Vallisoleto ad celebritatem venit: frequentissima supplicatione totius Vrbis, omniumque statuum gratulatione Moniales illo deductę sunt : Sacramentum ritè locatum; & Monasterium S. Ioseph B. Mariæ de Via duplici nomine appellatum est.

Duxerat secum B. Virgo Teresia Agnetem à Iesu, Catharinã à Spiritu sancto, Mariam à S. Bernardo, Ioannã à S. Francisco; Salmantica tamen euocauit Elisabetham à Iesu, quam loco præposuit. Cum agerentur, proprius Prouincialis (de quo superiùs dictum est) Compluti creatur.

Accidit autem Palentiæ, vt nocte quadam B. Virgo Teresia scriberet nescio quid, tam à sensibus abstracta, vt Monialis quædã in cellam ingressa, nec audita, proximè sedens illam contemplaretur, gestus perpen-

deret, ac obstupesceret: scriptionem quippe posito calamo intermittebat: intima erumpebant suspiria: è facie tanquā radij solis adeò splendidè emicabant, vt Moniali timorem incuterēt: diuina quippe sensa corporis quoque maiestate repræsentabat. Opus hoc Palentinum, laboribus, & insectationibus immune, inter iucundissima recensetur: ex quo multiplex sanctitatis prouentus relatus est.

Conditur XV. Monasterium Numantiæ. Cap. XI.



Ntequàm Palentia excederet, literas Oxomensis Episcopi B. Virgo Teresia accipit, quibus monetur, velit Numantię Monasterium extruere.

Domina quippe Beatrix de Viamonte Vidua, & sine liberis, locuples, id opus piū ardenter optabat. Erat is Episcopus Doctor Velazquéz, qui ex sacris confessioni-

bus, cum esset Toleti Canonicus, B. Virginem Teresiam amauerat.

Placuit votum : & sex Moniales, inter quas Catharina à Christo sanctitate insignis loco præfuit, à P. F. Nicolao à Iesu Maria Vicario Prouinciale viro integerrimo eo deductæ, ac sine controuersijs, in amplis ędibus collocatæ sunt.

14. Iunij 1581. primum sacrum factum, & Monasterium S. Trinitatis nuncupatum est. Opere demùm absoluto, cum Anna à S. Bartholomæo fidissima socia Abulam discedit: ac obiter grauissimis itineris asperrimi molestijs afficitur.

B. Virgo Teresia Monasterio Abulæ præest: & indè Granatā, vt XVI. condatur, mittit. Cap. XII.



SVB initium Septembris, anno 1581. B. Virgo Teresia Abulam peruenit, & Moniales tātæ Matris cupidissimæ de illa in Monasterij cura deligenda tam seriò egerunt, vt Maria à Christo, quæ

tunc pręerat, Virgini loco cessura, curæ ponendæ veniam à Prouinciale impetrauerit.

Electa verò B. Virgo Teresia Monasterio, quod tunc victus egestate laborabat, pastum animorum, & corporum saluberrimum, vberrimumque prouidit.

Nondùm tres menses exegerat, cum P. F. Ioannes à Cruce, ille qui è duobus primis candidatis summoperè placuerat, cum equis, & modesto apparatu, vt B. Virginem Teresiam Granatam deduceret, accessit: primum quippe illius regni Monasterium eius auctoritatem requirere videbatur.

At cum antęuerso tempore decretum fuisset, vt Burgos potiùs, ad opus simile peteret, Annam à Iesu, vt præesset, duasque alias Moniales eius comites Mariã à Christo, quæ Abulensis Monasterij curam paulò ante deposuerat, & Antoniam à Spiritu sancto in Apostoli Andreæ profesto, sui vice mittit. Quæ à D. Anna de Peñalosa (cuius rogatu opus illud institutum, & donis auctũ fuit) liberaliter exceptæ, Monasteriũ condunt: quod fæliciter à Deo prosperatur.

Vnum hic ſilere nefas ſit: Granatenſis Archiepiſcopus annonæ caritate deterritus vehementer obſtiterat, ne Monaſterium ex mendicato alendum in ea victus anguſtia Granatæ conderetur. At eius domum, præter naturæ ordinem, inſperatum fulmen tetigit, eoque timore corripuit, vt diuinę correptioni parens, deinceps non modò non contradixerit, ſed ex animo eleemoſynas erogauerit.

Monaſterio præfuit Anna à Ieſu, quod inter alia à B. Virgine Tereſia recenſitum non eſt, quod necdum opus eſſet abſolutũ, cum ex hac vita migrauit.

Conditur XVII. & vltimum Monaſterium Burgis. Cap: XIII.



ADVENTANTE B. Virginis Tereſiæ obitu, vt animus ille cumulatiſſima gloria fruiturus, eò per ſummos labores pertingeret, quò ab æterno fuerat deſtinatus, de Vrbis Burgo-

rum

rum profectione à Christo admonetur, & ad opus animatur: familiare quippe fuit, quoties pericula obeunda erant, animum illum grandem præmonere.

Cum ergo ante dies multos, cũ Archiepiscopo Burgensi, D. Christophoro Vela de hoc proposito actum esset, B. Virgo Teresia Abulæ agens, per D. Catharinam de Tolossa, vrbis venia (vbi plurimùm difficultatis inerat) obtenta, per literas vrgetur.

Graue propositum visum est: molestissimis enim morbis angebatur, & frigus asperrimum, quo præsertim infestabatur, sæuiebat: quamobrem aliam, quæ scilicet Monasterio Palentino præsidebat, sufficere cogitabat.

Audit tamen à Christo: Ne frigus expauescas: ego quippe sum verus calor: dęmon, quoad potest, enititur ne Monasteriũ Burgense condatur, è contrario tu, pro me, vires tuas exere: tu ipsa omninò proficiscere: magnus enim inde prouẽtus existet. Verbis facta fidem astruxerunt.

Post modicum tempus à Catharina de

Tolossa,vt festinet,per literas incitatur. Et vnà cum socia Anna à S. Bartholomæo, & duabus alijs Alba euocatis, postridiè festi Circumcisionis,anno 1582.Abula discedit, Palentiaque transiens, vt statim liquebit, alias indè seligit, atque ita octo demũ Moniales secùm ducit: & sub custodia P. F. Hieronymi à Matre Dei Prouincialis, & duorum Patrum Burgos iter instituit.

Ab ipso itineris exordio imbres, nix, inclementissimum cælum B. Virginem Teresiam tunc paralysi ægram obruerunt. Medinam, & indè Vallisoletum pertigit, vbi morbo vehementer ingrauescente, Medici subitum discessum persuadent, aliter proficisci non valituram. Palentiam ergo properè commeat: vbi frequentissimus populus fama Virginis excitus sibi ab ea benedici cupiens, illam ita circumfluit, vt vix è curru descendere valuerit. In Monasterio verò suo à sacris Virginibus cum Hymno (Te Deum laudamus) ex more lætissimè excipitur.

Tempus exasperatur, & iter acriter dis-

suadetur

ſuadetur. Homo præmittitur, qui viam exploret, à quo periculoſæ viæ nuntium triſte refertur. At Chriſtus anxiæ Virgini ſic adeſt: Vos ipſæ potiùs viam carpere poteſtis: ne extimeſcas, ego vobis præſtò ero. Quibus illa verbis erecta, hominum opinione temerarium, Chriſti verò ſententia tutũ, iter arripuit.

Ripam fluminis, curru, qui luto defixus ſe loco mouere nequibat, deſcendentes, pedeſtri itinere Moniales conficiunt.

At dum cliuum immitem poſteà B. Virgo Tereſia curru vecta conſcẽderet, currũ alterum, quo Moniales vehebantur, inclinatum, & vt ad imum fluuium è ſublimi loco pręceps ferretur, penè cernit euersũ. Vbi Iuuenis quidam è comitibus accurrens manus rotis admouet, ac prodigioſè ſuſtinet: quas multi ſanè validi homines neutiquam ſiſtere potuiſſent.

Ad hoſpitiũ omni ſolatio deſtitutũ ventũ eſt: & tamẽ ibi per aliquot dies demorari, rationi cõſentaneũ cẽſebatur: mœſtiſſima quippe itineris reliqui nuntia terrebant.

Denique viæ duce conducto, per ligneos pontes, quos, dimidium circiter palmum, aqua excesserat, flumen, multo cum discrimine, traijciendum erat. Cum enim pontes nimis angusti currum capere vix possent, modico lapsu per vtrumlibet latus in flumen demergerentur.

Virgines ergo illæ, vt discrimen obirent, sacra se cõfessione communiunt: eis B. Virgo Teresia benedicit: fidei Symbolum religiosè proferunt.

Pia mater nihil perturbata, immò hilaritatem vultu præferens, sic hortatur: quale fælicitatis genus à vobis filiæ possit maius expeti, quàm (si detur hic) martyrium Dei gratia subire? At cunctamini: ego præibo: quod si mergar, summis precibus flagito, in diuersorium reuertamini.

Aggreditur ergo generosè periculum: & quasi fluuius vim fidei persensisset, immunis pertransijt, viam alijs tutiorem fecit.

Singulare quidem præsentissimi Dei auxilium fide inuictissima, internis motibus impetrauit: & Virgines illas externis verbis

erexit;tametſi ægrè loqui poſſet. Gerebat quippe linguam paralyſi vinctam. Sed cum in oppido propinquo ſacro interfuiſſet, & Euchariſtiam ſumpſiſſet, obligatam linguã, vt loqui poſſet, expediuit. Ipſo ergo die tot laboribus periculiſque perfuncta (26. nempe Ianuarij) Burgos ingreſſa, celeberrimum Crucifixi Chriſti ſimulachrum, quod in ea Vrbe colitur, antequam quicquam attentaret, ſub ipſum acceſſum ſalutauit.

Sed inter morbos alios, fauces ita erant affectæ, vt ſine graui dolore, nihil traijcere poſſet, & cum ea nocte, nimium madida propè ignem ſolito diutius ſediſſet, nocte proxima, vertigo moleſtiſſima, vomitus vehemens, aſperiora faucium vlcera, ſic eam torſerunt, vt ſanguinem excrearet, proximoque die, lecto iuxta feneſtram coaptato, cum exurgere nequiret, reſponſa redderet, ac negotia multa componeret. Vrbs autem iacenti Virgini per aliquot deſignatos ciues gratulata eſt.

Multa obstant: denique Monasterium conditur. Cap. XII.



P. Prouincialis, vt rem vrgeret, Archiepiscopum conuenit, à quo veniã impetrare nequiuit: causatus est enim noluisse se, cum B. Virginis Teresiæ propositum probauit, tàm citò opus absoluere: sed eam duntaxat in Vrbem, vt omnia exploraret, venire. Adit illa Archiepiscopum, Monialibus intereà se ardenti cum oratione verberantibus, sed nihil obtinet: licet enim amaretur, iustis tamen de causis differebatur.

Iam P. Prouincialis laboris tædere cœperat, & penè discedere cogitabat: quod certè propositum, cum B. Virgini Teresiæ molestum accideret, sic Christum aientem audiuit: Teresia fortiter age. Quo illa oraculo roborata P. Prouinciali, qui aduentante Quadragesima Vallisoleti concionaturus erat, persuadet, abeat, & eam Bur-

gis ad promouendum opus relinquat.

Remanet in Xenodochij ſecretiore parte, multis difficultatibus ſuperatis, obtenta: multaque patitur. Exquiritur intereà domus, quam cum parùm laudaretur, B. Virgo Tereſia, viſit, & magnoperè probatam emit. Qua in re illud Vrbs tota mirata eſt, quod cum de cœnobijs multis condendis ageretur, & domus illa à multis explorata, & improbata fuiſſet, vni B. Virgini Tereſiæ vili pretio emendam, & multis de cauſis opportunam Deus reſeruaſſet. Sed cum carior æquo videretur Chriſtus oranti Virgini ait: Num pecuniæ parcis? quo illa reſponſo emptionis pactionem iniuit, pretiumque vile ſatis fuiſſe dignouit.

Archiepiſcopus non vulgariter gauiſus bis B. Virginem Tereſiam adijt, licet nollet veniam impertiri, donec eam ab Epiſcopo Palentino rogatus, locumque idoneum contemplatus indulſit: ac in hunc modum 9. Aprilis 1582. ritu ſolito, Monaſterium S. Ioſeph erectum eſt.

Hoc ipſo die, cum Archiepiſcopus con-

cionaretur, & existimationis conceptæ, & pœnitudinis, ex anteacta Monasterij procrastinatione signa dedit.

Cum vero iam Moniales requieuissent, prodigium accidit. Exundauerat enim fluuius, & ipso Ascensionis festo Vrbem peruaserat: domus nutabant, sacræ Virgines claustris excedebant, B. Virgo Teresia, vt loco recederet, quod planus, & fluuio propinquior esset, admonita, Eucharistiam in cubiculum altius efferri, neutiquàm abire, sed orationi vacare iussit: nec aliquod sensit palantis fluuij nocumentum: quod ab Archiepiscopo, & alijs sanctitati B. Virgini Tesesiæ ascriptum est.

Præfecit Thomasinam Baptistam Monasterio quòd virtutū laude resplenduit.

-:-

Recedit Burgis: Albam venit: moritur. Cap. XV.



OSTQVAM Monasterium conditum B. Virgo Teresia intuita est, Deum obnixè precari cœpit, qui domum dedisset, victum quoque prouideret: quod illa ante discessum cernere mallet. Cui hac de re cogitanti Christus ait: Quid dubitas? iam loco prouisum est: abire potes. Quibus certè verbis intellexit, Deum Monasterij curam singulari modo gesturum.

Burgis ergo Palentiam, inde Medinam venit, vnde Abulam, cuius Monasterio præerat peruenire parabat: verùm alio consilio agendum agnouit. Præstolabatur quippe illam Medinæ P.F. Antonius à Iesu, eam (quòd D. Maria Enriquez Albæ Dux id postulasset) proposito mutato Albam deducturus.

Nuntium hoc mœstissimũ accidit, quod Abulæ Monasterium petere, vtilius B. Vir-

go Teresia censeret: at quæ, vsque ad mortē obedientiam colere decreuerat, statim obtemperauit.

Vehitur curru grauiter affecta, & prope oppidum (cui Penaranda nomen est) deliquium patitur, quod comites omnes ad cōmiserationem vehementer mouit. Cum verò nihil esculentum, præter paucas ficus, suppeteret, & Anna à S. Bartholomæo, id molestissimè ferret: Ne, inquit, mœreas filia: ficus hæ optimæ sunt: inopes multi tantundem victus non habebunt. Proximo quoque die in oppidulo quodam hesternā penuriam, brassica cœpis mixta, morbis eius aduersa compensauit: pridièque festi Apostoli Matthæi Albam tota concussa, & penè dissoluta vesperi peruenit.

Ioanna ergo à Spiritu sancto, quæ Monasterio præerat, vnà cum sacris Virginibus illis, vt ad quietem cubaret, enixè precantur: quibus illa morem gerit aiens: Adsit mihi Deus: lassitudinem immodicā sentio. Per annos viginti, nunquàm adeo maturè cubui.

Sur-

Surgit postridiè, domum perlustrat, sacro interest, Eucharistiam sumit, & his exercitijs, quibus more seraphico fungebatur, alternè cadens, atque resurgens, vsque ad festum S. Michaelis perdurauit; quo post sacrum, & Eucharistiæ sumptionem, exfluxu sanguinis languida, lecto decubuit.

Triduo verò antequàm obiret, cum penè in oratione pernoctasset, manè iubet P. F. Antonium à Iesu, cui confiteatur, acciri: qui (vt ab alijs auditum est) Virginem anxiè rogat, precetur Deum; ne tam citò è vita migret. Sed causatur illa, mundo se iam minimè necessariam esse: Ex eoque tempore velut statim profectura, cœpit Virgines prudentissimis, & saluberrimis consilijs admonere.

Pridiè verò festi S. Francisci Eucharistiã vesperi postulauit, cum iam ingrauescente ad interitum morbo, se in lecto, loco mouere nequiret.

Interim autem, dum expectatissimum viaticum affertur, commissis manibus, dulcissimis, ac postremis verbis, sic Virgines il-

las affatur, & rogat : filiæ meæ, ac dominæ (ſic enim ſenſit) per Dei amorem obſecro, in Regulæ, & Conſtitutionum obſeruationem impensè admodùm incumbant, neque culpas huius indignæ Monialis penſitent, ſed mihi potiùs ignoſcant. Quæ certè verba tenerrimo affectu producta candidos animos vehementer commouerunt.

Vbi verò in cellam inferri Euchariſtia velatum eum, quem tam ardenter cupiebat, intuita eſt: licet velut paralytica iaceret, ſine vllius adminiculo, ſe confeſtim ita validè erexit, vt ne in terram ſe prouolueret, ab alijs detineri oportuerit. Amor quippe ardentiſſimus præſenti paſtu incitatus inualuit.

Extemplò facies ſolito pulchrior, flagrare, & ſui venerationem excitare, vegetior illa, natuque minor, quam eſſet, apparere, iunctiſque manibus animi feruore, ac lætitia ſumma, candidiſſimus ille cygnus, ſub mortem, dulciùs, quàm anteà canere, ac diuina ſenſa prodere cœpit.

Inter alia verò, quibus ſaxa liqueſcerent,

ſic agebat: O Domine,ò Sponſe mi:acceſſit tandem tempus optatum : æquum eſt iam te videam. Tempus eſt,mi Domine,ex hac vita migrem . Fiat obſecro iuxta placitum tuum : venit demùm hora, qua hoc exilio eripiar, & te fruar, quem tam ardenter expetiui.

Immenſas gratias agebat , quod eam in Eccleſiæ(vt aiebat)filiam adoptaſſet, quod frequenter miro cum ſenſu repetebat,aiens: ſum certè,Domine,Eccleſiæ filia.

Peccatorum veniam impenſiſſimè precabatur: ob Redemptoris noſtri Ieſu Chriſti merita,ſalutem ſe ſperare aſſerebat: & vt id obtineret, aſtantium preces enixè poſtulabat.

Cum verò Virgines illæ inſtarent , aliquid eis ſupremo quaſi teſtamento faciendum præſcriberet ; nihil niſi quam diximus Regulæ, & Conſtitutionum obſeruationē, & Superiorum obedientiam expreſſit. Sed cum iam penè interiret, alta cum demiſſione illa verba vſurpabat : Ne proijcias me à facie tua : & Spiritum ſanctum tuum ne au-

feras

feras à me. At dimidium versum illum: Cor contritum, & humiliatum Deus non despicies, singulari sensu, donec animam efflauit, repetere non destitit.

Vnctionis iam extremæ, ad mortis agonem, Sacramentum poposcit, ac reuerenter admodùm precibus respondens excepit. Cum verò liniretur, quòd filia esset Ecclesiæ, iterũ gratias, mitissimo corde, rependit.

Noctem illam summis doloribus afflicta peregit: proximoque die, Christi Crucifixi effigiem manu tenens (quam donec vt sepe liretur, ablata est, non deposuit) in latus incubuit eo habitu, quo B. Magdalenæ imago exprimi, consueuit: eoque positu, vultu flagrante, orans perseuerauit immota.

Contemplabatur illam attentissimè Monialis quædam; signa enim animi cũ Christo agentis, admirantis, & ex ostensorum magnitudine stupentis exhibebat: & ita suspensa vsque ad tertiam noctis horam permansit, ipsaque die, quæ Octobris quarta est, anno 1582. ætatis suæ anno 68. animam illam niue candidiorem exhalauit.

Ca-

Cadaueris obſeruatio : ſepultura : viſa. Cap. XVI.



REmanſit Virginis corpus planè pulcherrimum, tenſa cute, cum iam illam ſenectus contraxiſſet, alabaſtritis more cãdidum, vt Spiritus ſancti ſacrarium, & ſapientiæ arcam decebat.

Odorem ſacrum, mirificum, alijs odoramentis abſimilem, non modò corpus, ſed veſtes, & panniculi, quibus ægra vtebatur, tam vehementer efflarunt, vt feneſtras, ne capita læderentur, aperire oportuerit: quod non adeò mirum videri debet, cum adhuc viuens (quod teſtes locupletes affirmant) eiuſmodi odorem effunderet.

Corpus ambiere ſacræ Virgines, quà poterant, Parentem ſuauiſſimam comitantes: è quibus vna quæ olfactũ amiſerat, & odoris illius expers mœrebat, dum pedes oſcularetur, ſenſum læta recuperauit.

Eodẽ actu, alterius quæ capitis, ac vnius

oculi dolore grauiter laborabat, morbus euanuit.

Alia per annos quatuor, capitis dolore tam vehementer affecta, vt ambulans manum oculis identidem imponeret, velut exultantes illos cohibitura, ſtatim, ac obijt, manus B. Virginis Tereſiæ capiti, & oculis admouit, & eueſtigiò perfectè conualuit.

Proximo die, pro illius oppidi captu, virgineum corpus ſolemni ritu ſepulchro conditum fuit. Multa verò fæliciſſimum exitum præſagia portenderant: Moniales quippe plures, celæſtia lumina ſæpe ſupra Templi tectum, in choro, ac propè B. Virginis Tereſiæ cellam, intuitæ, aliquid magnum inſtare dictitabant.

Vt verò alia ſileamus, reticendum non eſt, Virginem quandam ſanctitate conſpicuam, puncto obitus ipſo audiſſe ſtrepitum ingentem plurimorum, qui candidis veſtibus amicti, feſtiuiſſimè B. Virginis Tereſiæ cellam ingreſſi obeuntis lectum ambierunt. Martyres quippe illi decies milleni, quorum feſtum B. Virgo Tereſia religioſiſ-

ſimè

ſimè celebrauit,polliciti fuerant, hora obitus ſe accurſuros, & eam in cæleſtem aulam deducturos.

Alia verò,ipſo mortis momento, albam quaſi columbulam ex ore Virginis prodeuntem vidit, alia lucem cryſtallo ſimilem iuxta cellæ feneſtram intuita eſt: nec de B.Virginis Tereſiæ meritis,aut teſtium veracitate cordatis viris vlla ſuſpicio ſuboriri potuit.



LIBER QVARTVS

Dotes natiuæ B. Virginis Teresiæ à Iesu. Cap. I.



RAT B. Virgini Teresiæ statura mediocris, forma elegans, membra obesa, & benè pacta, facies pulchra, candida, ad proportionem in orbem ducta. Capillus niger, crispus, frons læta, æqualis, cilia ex flauo-nigrescentia, spissa, lata, non valdè in arcum flexa, oculi nigri, aliquantùm extantes, non grandes, sed ad proportionem magni, viuaces, hilares, nasus paruus, non multùm ad mediùm extans, in simum desinens, aliquantùm introrsùm pronus, nares in arcum ductæ, ac strictæ, os ad mediocritatem patens, labium superius tenue, ac rectà tensum, inferius modicè extrorsùm deuexum, color gratus, dentes candidi, & concinni, mentum ad faciem aptè

compoſitum, aures mediocres, collum latum, breue, manus breues, ad proportionē formoſæ, digiti ſenſim graciliores, tres in facie ſiniſtra, næui, vnus ſub naſum medium, alter inter naſum, & os, tertius ſubtùs os.

Erat actione venuſtiſſima, & omnia corda decore, ac lepore mulcebat.

Sanè quod de Angelorum perfectione Theologi tradidere, pro naturalis perfectionis modo, fuiſſe diuina gratia donatos, in hoc B. Virginis Tereſiæ exemplari, quodam modo proximis capitibus perſpicietur: ſed naturalia perſequamur.

Mentem excelſam, ingenium perſpicax, animum grandibus natum ſortita eſt. Quidquid autē laudis natura parare poteſt, hic, ſi vſpiam, metam attigiſſe videtur: nihil enim Philoſophi verbis, quàm virtute clariores, de naturalibus vnquam virtutibus tradidere, quod hic non inſigniter eluceſcat.

Prudentia, vt rerum modos excogitaret, negotia expediret: Iuſtitia, vt ſingulis quod ſuum erat, maioribus venerationem, æqua-

libus comitatem, minoribus lenitatem redderet: nihil arduum, ex grauitatis defectu, prætermitteret: temperantia, vt vbique modestissimè ageret, corpus animo subiugaret: fortitudo, vt excelsa aggrederetur, magnanimiter absolueret.


In his quatuor naturalium virtutum cardinibus, quidquid natura parit, conuertitur. At B. Virgo Teresia ad earum perfectionũ verticem pertigisse videtur: quod ex rerum gestarum obseruatione, non obscurè depræhenditur.

Cum ergo tot dotibus eximijs polleret, sic se erga singulos gerebat, vt cum esset opus Principibus magnitudinem, proteruis seueritatem, mitibus facilitatem miram, rebus, & occasionibus attemperatam redderet.

Hinc non solùm aliorum animis sui amorem ingenerabat, sed reuerentiam, & timorem incutiebat, eò præsertim celebrata, quod cum à viris Illustrissimis, seu grauissimis improbaretur, excelsè illos cõueniens, primo cõgressu in suã sentẽtiã perducebat.

Verùm ijs, quæ naturam ſuperant, dotes natiuæ cedant, æquum eſt.

Gradus, per quos in orationis ſublimitatem aſcendit. Cap. II.


B Hoc prorsùs capite ſermonis origo petēda eſt: orationis enim ſtudio heroicas virtutes peperit, ac prouexit.

Ponendum tamen, his in rebus, quæ naturam excedunt, ſermonis parcitate peccādum eſſe. Scriptores quippe antiqui quædam cogitationum ſuarum ſimulachra ſcriptis expreſſerunt, dum Remp. vt Plato, Vrbem, & fælicitatem, vt Ariſtoteles, hominem ſapientem, vt Stoici, oratorem, vt Tullius, deſcribere conati, nitore verborum nō res veras, ſed imagines, & commenta pinxerunt.

At cum de Sanctorum virtutibus agitur, omnis verborum apparatus, balbuties quędam eſt, quòd ad ſenſa diuina exprimenda

omnis vniuerſorum Oratorum eloquentia, ſit planè rudis infantia: quod vnius Virginis Tereſiæ celſitudo conuincet.

c.4. Vitæ. Primus ergo præceptor, quo ad orationem vſa eſt, ſub profeſſionem in Monaſterio mitigato emiſſam, fuit tertium Oſſunæ Abecedarium, quod ſummè placuit. Iam verò donum lachrymarum, pro anteacta ariditate diuinitùs ei collatum fuerat: & ita poſt menſes paucos cum adhuc tenella foret, orationẽ, quam vocant, quietis, & Vnionis interdùm attigit, tametſi tantum bonũ tunc ipſa non internoſceret, quemadmodũ libro primo, capite ſeptimo à nobis indicatum eſt. Sic tamen afficiebatur, vt mundum vniuerſum proculcare ſibi videretur.

Modus orandi hic erat. Chriſtum, quoad poterat, præſentem imaginatione verſabat, & indè incaleſcere nitebatur, frequentiſſimum tamen exercitium, lectio pia orationi permixta erat: cum nec ſatis Chriſti effigiem imaginatione componere, nec intellectu diſcurrere poſſet. Sic annos decem ac ſeptem exegit, moleſtiſſima ariditate,

ac cogitationum improbitate vexata.

Intra verò horum annorum periodum, anno vno, ſtudium orationis, humilitatis ſpetie deluſa intermiſit: cum enim virtutes tunc non adeò perfectè coleret, cum Deo familiariter verſari, non decere videbatur: quo quidem errato grauiter læſa fuit. c.7. Vitæ.

Repetiuit ergo cæleſti dono, ſtudium orandi,& imagine Chriſti concepta, in eos potiſsimùm paſsionis angores incubuit, vnde prouentus exiſtebat vberior:propterea-que horti ſudorem creberrimè recolens, ea cogitatione cubitum ire per annos multos in conſuetudinem duxit. Optabat ſiccare ſudorem, ſed ſuccurrentibus peccatis territa refugiebat, & varios indè affectus, qui orationis ſeminaria fuere ſubibat.

Campi,prata, flores, fluuij ſatis proderant,vt animum excitaret:cæleſtia verò,vel alia, quæ minimè cernebat, cogitare non poterat. Chriſti formam (quantumuis de illius pulchritudine multa legeret, audiret, egregias imagines cerneret) imaginatione repræſentare nequibat: ſed velut in caligi-

noſo loco cum aliquo quem noſſet, videre tamen nō valebat, patienter agebat: propterea que imaginibus deditiſſima erat, ſi fortè Chriſtum concipere poſſet.

Internos guſtus nunquam (niſi ſemel cū areſceret) poſtulauit, aut expetiuit: tunc verò in ſe reuerſa vehementer erubuit, ipſaque verecundia, quod poſtularat, accepit.

Per hoc tempus (licet poſteà frequētiùs) dum imaginem Chriſti conciperet, ſubibat ex improuiſo ſenſus præſentiæ Dei, adeò mirus, & efficax, vt videretur ſibi dubitare non poſſe, quin Deus intra ipſam, & ipſa Deo immerſa maneret. Non erat viſum: ſed animi ſuſpenſio, qua extra ſe agebatur: voluntas ardebat, memoria vacabat, intellectus ſtupebat: Deus enim, vt oſtupeſceret, lumen infundebat, quo intelligeret, ſe nihil ex ijs, quæ obijciebantur intelligere.

Quies, & Vnio gradus contēplationis ſunt.

Quo verò ſe accuratiùs comparabat, eo maiora capiebat. Cœpit ergo Clementiſſimus Deus orationem quietis crebrò, vnionis verò interdùm, ineffabili cum voluptate, ac ſecuritate indulgere.

Post hæc cum de Confessarij consilio, corpus macerare, Christi passionem meditari, gustibus repugnare conaretur, quò validiùs reluctabatur, eò maiora gaudia percipiebat. c. 24.

Cùm verò per duos circiter menses, hæc præstitisset, à P. Francisco Borgia Societatis Iesu Generali rerũ diuinarum peritissimo, ne Deo reniteretur, sed à Christi passione orationem auspicaretur, si verò se altiùs efferri cerneret, se attolli sineret, admonita, statim ecstasi multiplici corripi, & Christi verba cœpit audire, quibus mirificè profecit.

Mirabili postmodùm Christi consuetudine fruita est: Christum quippe sibi propinquum, loquentem, indiuiduè cum ipsa versantem, incedentem, licet neque oculis externis, neque internis eum videret, sentiebat; quo plurimùm promota est. Post modicum, visionibus imaginarijs, quibus Christus se illi amantissimè spectandum sensim exhibebat illustrata, & incredibili eius pulchritudine capta fuit. c. 28.

Visio hæc duobus annis frequens, post 29.

modùm ſubtracta eſt, vt altiora, hoc eſt, vehementiſſimos amoris impetus, quibus paulò minus interibat, & alia viſa ſublimiora pararet: de quibus in poſtremis ſuæ vitæ capitibus egit.

Hæc Chriſti præſentia (immenſo dono) ſanctiſſimæ Trinitatis excelſiſſima præſentia (vt ipſa ſcripto prodidit) permutata eſt. Et demùm oratione prorsùs diuina (quam ipſa ſpirituale matrimonium in vltimis mãſionibus appellat) donata, tot tantiſque gaudijs affluxit, vt ſicut Apoſtolo, ne reuelationum magnitudine extolleretur, ſtimulus carnis, ita ipſi capitis dolor moleſtiſſimus (vt aiebat) ne tam immensè oblectaretur, fuerit immiſſus.

De ſublimitate autẽ orationis illius proculdubio angelicæ, ad quam B. Virgo Tereſia prouecta fuit, velle dicere, nimis operoſum, & ab hiſtorici compendij breuitate foret alienum. Frequentiſſima mentis ſuſpenſio, altiſsima quies, arctiſsima vnio, creberrimi raptus, intima charitatis vulnera, vehementiſsimi amoris impetus, ſuauiſsima

Dei


Dei colloquia,tenerrima blandimenta,quibus eius ſcripta reſperſa ſunt,quamuis è plurimis pauca,& ea imperio coacta digeſſerit, abſolutiſsimam orationis perfectionem , & peritiam ad alios erudiendos cælitùs infuſam facilè demonſtrant: vt non immeritò à Theologis grauiſſimis aſſertum ſit,potuiſſe B. Virginem Tereſiam illam ſapientiam docere , eo pacto , quo nobiliores Theologi Theologiam in Academijs è ſuggeſtis prælegere ſolent.

Illud autem ſtudioſiſſimè cauit, ne propriam ſententiam,aliorum,à quibus iudiciũ ferendum erat, opinionibus anteferret: immò (quod mirum dictu eſt, & ex hiſtoria patere poteſt) quoties quid agendum erat, celans viſa diuina,quibus Dei placitum congnouerat , Confeſſarios , quos ſemper doctrina , & ſanctitate inſignes habuit, rebus ſyncerè propoſitis,conſulebat, vt quid fieri deberet,communi ſcripturæ,ac Sanctorum Patrum doctrina,præſcriberent.

Nullum verò ætatis ſuæ virum rerum diuinarum egregiè conſultum prætermiſit,

à quo iudicari, itineribus ea de cauſa ſuſceptis, non curaret: vt nulla dæmonis impoſtura ſubeſſet.

Spiritus prophetiæ. Cap. III.


Micorum eſt arcana communicare conſilia: quapropter vbi animus B. Virginis Tereſiæ ad ſtrictiſſimã Dei amicitiam euectus eſt, innumera, & abditiſſima Dei ſecreta, multiplici raptu cognouit.

Cum verò omnia, quæ à naturali cognitione diſſita Deus reuelat, ex Theologorũ conſenſione, ad ſpiritum prophetiæ pertineant (quod omnium apertiſſimè Greg. magnus expreſſit) & mentis diuinæ particeps Virgo, ſummæ Trinitatis, Chriſti humanitatis, Sanctorum qui iam beatitudine potiũtur, animarum quæ igne purgatorio expiantur, ac dæmonum ipſorum per crebras reuelationes, multa, quæ nulla perſpicacitate naturali percipi poſſunt, diuinitùs affe-

cta, dedicerit, (quod eius scripta disertissimè ostendunt) efficitur certè, illustri prophetię spiritu fuisse donatam.

Quod verò ad eam prophetiæ partem, quæ futura, seu recenter facta prospicit, spectat: multis prædictionibus innotuit.

Cum quidam eius affinis subitanea morte interijsset, sororem suam D. Mariam de Cepèda, eodem modo obituram, per visum edocta, illam reuelatione suppressa, vt inculpatè viueret, admonuit, & ad Sacramentorum frequentiam induxit. Rem exitus probauit, sic enim correpta fuit, vt confiteri nequiret. c. 34.

Cum verò aliquando coram Sacramento impensiùs oraret, Sanctus quidam è Carmelitarū ordine apparens librum prægrandem, quem ferebat, aperuit, à quo B. Virgo Teresia monita hæc verba eleganter scripta legit: florebit futuris ætatibus ordo hic, & Martyres multos habebit.

Annos viginti, priusquàm Regis Sebastiani morte, & exercitus clade Lusitania plecteretur, B. Virgo Teresia Angelum di-

ſtricto,& cruento enſe illi regno minantem vidit: Angelum quoque alterum ſimili ſpetie aduersùs Galliam intuita eſt, qui regni exitium portendebat.

cap. Vitæ. Annos quatuor, antequàm Diſcalceatorum Carmelitarum vexatio ingrueret: mare fluctuum æſtu perturbatum vidit: & quod olim Aegyptijs Iſraelem inſectantibus idem Congregationis vexatoribus euēturum agnouit.

Auguſtinus de Ahumada B. Virginis Tereſiæ frater oppidi cuiuſdam apud Indos occidentales Prætor accepit literas, quibus Virgo illum acerrimè monebat, exiret confeſtim ex oppido illo, niſi mallet animæ ſimul, ac corporis iacturam pati. Quibus ille monitis, velut oraculo diuino extemplò acquieſcens diſcedit, tametſi decies millenos aureos, per annos ſingulos Prætura refunderet, & ecce intra dies paucos, hoſtes oppidum inuadunt, & nouum Prætorem, ac oppidanos omnes interficiunt.

Cum P.F. Didacus Iuàgnez Dominicanus per centum milliaria, ab eo loco vbi B.

Virgo

Virgo Teresia tunc agebat, dissitus obijsset; accepta per visum mortis notitia, statim illa rem, ac circumstantias æquè ac si affuisset, Patri F. Garciæ de Toleto similiter Dominicano, qui ei erat à sacris confessionibus, aperuit. Disquisiuit ille postmodùm omnia: & propheticum visum planè verissimum admiratus est.

Paucissima hæc è plurimis excerpta, quasi testes prophetiæ sunt. Nam quæ in hoc genere contigerunt, numero, vel pondere nemo posset æquare.

Libri sapientia pleni. Cap. IIII.



PORTEBAT sanè animum sapientia diuitem orbi terrarum hac tempestate densis ignorationis tenebris occæcato lucem afferre.

Quod sapientissima Virgo Teresia, sic præstitit, vt eius existimationem scriptorum fide constantem dignè perpendere, difficillimum certè, sed minimè necessarium sit: quandoquidem tot scriptorum testes,

quot lectores nacta est: quos innumeros, & grauissimos esse constat. Hic scripta duntaxat recensebimus.

Præter multa, quæ prælo commissa non sunt, quinque libros, non sua, sed Confessariorum sententia, cui tanquam diuinæ parebat, eloborauit.

Primus nihil est aliud, quàm ab ineunte ætate vsque ad Abulensis Monasterij institutionem, quidam vitæ discursus affectionibus diuinis, quas patiebatur, refertus, quē scripsit, vt P. F. Garciæ de Toleto Ordinis S. Dominici obtemperaret, ipso, quo Monasterium condidit anno 1562. & eiusdem anni mense Iunio illum sine distinctione capitum absoluit: postmodùm verò in capita diuisit, & Monasterij erectionem, vt modo legitur, adiecit. Qua in re illud sanè mirum accidit, quòd eodem, quo scribebat, ordine, orationis gradus exercebat: vt si exempli gratia de orationis quiete agendum esset, ea tunc quiete frueretur, quo certè cælesti dono vnumquemque orationis gradum exactè describere potuit.

Se-

Secundus liber, quem Iter perfectionis inſcripſit, eſt quem præcipiente P.F. Dominico Bannes, cui tunc confitebatur, eodem quo vitæ librum, anno perfecit.

Tertius eſt, qui de aliorum Monaſteriorum fundatione à Medinenſi vſque ad Burgenſe agit: quem iuſſu Confeſſarij P. Hieronymi Ripaldæ è Societate Ieſu, anno 1573. Salmanticæ incœpit.

Quartus (vulgo inſcriptus Caſtellum interius, ſiue Manſiones) quem Trinitatis feſto, anno 1577. ex mandato Doctoris Velazquez Confeſſarij, Epiſcopi poſteą Oxomenſis, & denique Archiepiſcopi Compoſtellani, Toleti incœpit, & profeſto S. Andreæ, eodam anno Abulæ abſoluit. Hunc dum conderet, tanto Dei ſenſu affluxit, vt per dies ferè duodecim, ne notam vnam exarare potuerit, vnde capitis imbecillitas extrema prodiuit.

Quintus Cantici Salamonis explanatio fuit, vt nõnullis, quibus (quemadmodum ait ipſa) parere debebat, obtemperaret: ex quo fragmentum duntaxat vnum remanſit: ſi-

cut enim obidientiæ virtus ad ſcribendum adegerat,ita ad ſcripta diſcerpenda permouit:quod fuit Confeſſarij cuiuſdam non valde ſapientis præceptum.

Libros hos,inter negotia grauia,morbos, labores, ita conſcripſit, vt in ſententiarum inuẽtione nihil ferè operæ collocaret:mox enim, ac operi manum admouebat, vberrimè (quod ipſa ſæpe notauit) rerum copia fluebat:labor, penè ſola ſcriptione conſtabat.

Laudatur ſermo caſtus, non comptus, grauis, lepidus, efficax. Admirationem excitat rerum ſublimitas, quam ne Theologi multi, niſi affectionum diuinarum conſulti, aſſequi poſſunt. Doctores hac ætate celeberrimi myſticarum paſſionum facilem,ac leniter decurrentem explanationem adeò obſtupeſcunt, vt rarum ſapientię genus eis videatur, quę de myſtica Theologia Patres obſcurè, ac ſparſim tradiderunt, à Virgine vna in methodum tam perſpicuè, atque concinnè fuiſſe redactum. Quod verò ad doctrinę ſoliditatem pertinet, nihil non

Theo-

Teologicum, tametſi ſcholaſtico more premature, exprompſit, vt è libri primi capite primo perſpici poteſt.

Vita B. Virginis Tereſiæ, & Manſiones doctrina cęleſti, multis experimentis comparata, ad res internas dignoſcendas affluunt; licet, quę de ſe in vita deſcribenda luculentiùs profert, alio conſilio in Manſionibus in methodum redacta, & in commune propoſita, ac longiore quindecim annorum experientia, probata tradiderit.

Iter perfectionis familiarius eſt, quod iuxta inſcriptionem, viam perfectionis parandę liquidò demonſtrat, dum orationis ſtudium cum virtutum cultura conciliat.

Mira ſunt ſanè, quę ſuauiſſimo magiſterio B. Virgo Tereſia digeſſit: quę animo demiſſo, vt proſint, legenda ſunt: ſed quantoperè tam pia lectio, iam orbe toto Chriſtiano, in varia idiomata verſa profuerit, multa in ſingulis vrbibus argumenta conuincunt.

Examen spiritus B. Virginis Teresiæ. Cap. V.



VLLVS vnquam Theologicę laureæ candidatus tā acre in florentissimis Academijs subijt examen, ac B. Virgo Teresia; quæ contra hominum mores, non modò examen non refugiebat, sed statim, ac apud aliquem virum opinione celebrem se malè audire nouerat, eum auidè conueniebat. Cum enim prudentissima esset, ac dæmonis laqueos vitare seriò cuperet, à nemine maius lucrum, quàm à male opinantibus expectabat: hos enim quę sentirent ex animo dicturos, nihil blandituros, animaduertebat.

Prolixum foret, facta pericula singulatim percensere: Censores producemus, quos libri primi capite primo, in agmine vno recensuimus.

Ex Ordine S. Dominici P. F. Vincentius Varron, P. F. Didacus Iuagnez, P. F. Dida-

cus

cus Chiàues, P.F. Bartholomæus de Medina primæ Theologorum cathedræ Rector, P.F. Ioannes Salinas, P.F. Lunàr, P.F. Didacus Iangues, P.F. Dominicus Bannes, quem meminimus.

E Societate Iesu P. Franciscus Borgia eiusdem Societatis Generalis, & Sanctitatis fama celeberrimus P. Araoz, P. Aegidius Gonzàlez, P. Balthasar Aluarez, P. Salazar, P. Paulus Hernandez, P. Gutierrez.

Ex Ordine S. Francisci vnus pro plurimis, P.F. Petrus de Alcantara prædicti Ordinis instaurator, vir sanctitate, & vitæ austeritate clarissimus; ex clero vnus pro pluribus, P. Mag. Auila, vir planè Apostolicus, & à discretione spirituum laudatissimus.

Hi omnes (vt alios prætereamus) Viri doctrina, & prudentia clari, ex quibus nonnulli ætatis nostræ lumina splendidissima fuere, spiritum B. Virginis Teresiæ per annos multos explorarunt: aliqui priùs aduersarij facto periculo, propugnatores euaserunt: penè omnes sacras eius confessiones audierunt: plures eius scripta perlustrarunt: om-

nes eius ſanctitatem obſtupuerunt.

His teſtibns euincitur nihil animo illi grandi niſi magnum ſatisfeciſſe : non enim vulgares aliquos , aut mediocriter doctos, ſed quàm doctiſſimos, & quàm acerrimos poſſet exquirebat.

Fides B.Virginis. *Cap. VI.*



Oſtquàm Orationem communem virtutum parentem, ex parte, tetigimus, ad prolem virtutum, quarum baſis fides eſt accedamus.

Nunquam, vt à cæleſti prærogatiua ducamus initium, tentamenta fidei aduerſa perpeſſa eſt: dono quippe Dei in hoc genere firmiſſima perſtitit : quod aliquando ſignificauit.

Sed profectò fidei argumentum eſt, ſcopus ille, in quem ſua Monaſteria collimauit, vt ſcilicet pro incremento fidei, precibus, & pijs operibus incumberetur : quod

mulie-

mulieris inuentum, virorum proposita superauit.

Catholicas veritates tam seriò amplectebatur, vt pro quauis earum (vt ipsa dixit) millies mortem oppeteret. Aiebat sapienter, illas se tantò firmiùs credere, quantò minùs intelligeret; de sublimitate verò rerum internarum ita censebat, si fortè quid fidei minùs consonum accideret, se non alio iudice indigere, vt eas improbaret.

Se Filiam Ecclesiæ quasi fide genitam (vt sub eius obitum superiùs expressum est) impensissimè gaudebat: minimos ritus, imagines, reliquias religiosissimè coluit. Adeoque fidei studium excreuit, vt sponte sua Patres fidei censores adiret, vt de rebus eius periculum facerent; quod peculiariter præstitit, cum D. Franciscus Soto Salazar è Senatu Inquisitionis Abulam venisset: à quo tamen monita est, res suas omnes fide niti, nec eas esse, quæ ad Inquisitorum Tribunal pertinerent.

Quin etiam scripta sua per P. F. Dominicum Bannes Patribus Inquisitoribus exploranda

randa miſit, quæ diù apud D. Gaſparem Quirogam Cardinalem, & Senatus Inquiſitionis præſidem, aſſeruata, & laudata recepit.

Profectò credi nequit, animum de fidei integritate tam anxium, vt criticos non accerſitus adiret, vlla fidei laude carere: hoc enim ipſo, fide ſtabiliſſima, ſe fulciri conuicit. Sed dilata in caput decimum ſpei, ſiue fiduciæ expenſione, ad amorem accedamus.

Amor Dei. Cap. VII.



VM fides Apoſtolo teſte, ſit ſpei fundamentum, vbi fides ſtatu perfectæ virtutis tã fuit adulta, ſpem ſanè grandem extitiſſe credendum eſt. Verùm ea in tractatum magnanimitatis reiecta, de amore dicamus.

At dici nequit, quanta fuerit eius vis: etſi quid efferatur cum ſcriptis ab ea amoris argumentis comparari nequibit.

Profectò ſi amori opera fidem conciliãt,

tot, tanta, tam ſublimia opera in ſolam Dei gloriam directa, immenſum amorem perſuadeant, neceſſe eſt.

Interibat certè, quòd interire non poſſet, vt optatiſſima Dei præſentia, ſine huius exilij nebulis, frueretur. Amantiſſimè conquerebatur, & mortem impotenter flagitabat, faſſa, velle ſe hoc poſtulare, peterent alij, quod mallent.

Multiplex impetus amoris, ac doloris ſenſus erumpebat: cuiuſmodi fuit ille, quo Salmanticæ intermori cœpit, cum Virgines eius filiæ amatorium quiddam de Chriſto canere, feſtiuiſſimo die cœpiſſent.

Tunc enim velut iaculo traiecta eſt, eoque modo, quo ſumma in raptibus lætitia, ſic ibi ſummus ex abſentia dolor inualuit, & frigente, ac penè diſſoluto corpore, vita propemodùm intercepta eſt.

Nullum tempus excepit, quo ab amore feriaretur: neque enim vſitato alijs ferè omnibus exercitio, paucas, & ſtatas orationis horas ſibi præfixerat, ſed vniuerſas contemplationi, & diuinæ pulchritudinis amori,

perpetuo iure, dicauerat, quod animi validiſſimè amantis argumentum eſt.

Crebrò ſic afficiebatur, vt paulò minùs, præ decoris immortalis deſiderio animam efflaret. Et quidem (vt certò creditur) efflaſſet, niſi opportunis raptibus clementiſſimus Deus ſui copiam illi feciſſet, vt anima vulneribus amoris ſaucia requieſceret. Petebat tunc domus angulos, quoad fieri poteſt, ſecretos: & extra ſe acta interdùm inuenta, vehementer animos illo ſpectaculo captos ad pietatem vrgebat.

Profectò Angelus ille flagrantiſſimus, qui ſpiculo aureo cor, viſceraque traiecit (quod libro primo deſcriptum eſt) ægræ amore Virgini, remedium ſimul, & irritamentum fuit: quemadmodum, & viſum illud, quo Chriſtus ſe illi ſpectandum exhibens, dexteramque manum illi porigens, ſic eam affatus eſt: Inſpice clauum hunc, quo ſignificatur fore te inpoſterùm ſponſam meam, quod hucuſque promerita non es. Poſt hæc ergo honoris mei curam geres, nõ modò quia Creator, Rex, ac Deus tuus,

ſed quia ſponſus quoque tuus ſum : Deinceps quippe honor meus tuus erit, tuuſque reciproca ratione meus. Quæ certè ſuauiſſima verba amorem ſeraphicum excitarunt.

Illud præterea ſpectaculum amorem vehementem auxit: cũ Chriſtus manu dextra è ſiniſtræ vulnere clauum, diſcerptamque carnem illi adhærentem extrahens, ne dubitaret ſe exauditam perſuaſit.

His, & alijs amoris ſtimulis tanto diuini nominis deſiderio æſtuabat, vt ſi quem famulatui Dei vidiſſet idoneum, nihil non moueret, vt ereptum ſæculo, diuinis rebus addiceret.

Nihil acerbius mentem ſubire poterat, quàm culparum imago, ne fortè amoris legem violaſſet: inualuitque adeò anxietas hæc, vt eam Clementiſſimus Deus, non leuibus argumentis excuſſerit.

Lepidiſſimè dictitare ſolebat, benè ſe accepturam, quod alij gloriæ ſublimitate ipſi antecellerent: at neſcire ſe, quo animo afficienda eſſet, ſi alij ardentiùs amarent.

Omnis hominum conuictus, eſca, potus, ſomnus, negotia, & quidquid extra Deum eſt, illi vni Deo vacare cupientem dirè torquebant.

Sed inter vniuerſa Virginis geſta, maximum, quod in alia nulla Sanctorum hiſtoria legiſſe meminimus, fuit votum, quo ſe non grata modò, ſed quæ Deo gratiora crederet, effecturam. Votum quippe hoc Angelicum, & vſque ad ſtuporem, planè mirum, niſi ab animo, diuini amoris flammis excocto, & in Deum perenniter rapto edi non potuit.

Morbi, labores, operaque multiplicia ſoli Deo placendi ſtudio peracta, nihil aliud, quàm totidem diuini amoris argumenta ſunt.

Grandia denique magnus amor cogitabat, & adminiſtrabat: quæ quod ineffabilia ſint, ſatius eſt ſilentio venerari, quàm malè diſſerere.

-:-

Amor proximi. Cap. VIII.



HARITAS Virginem Monasterio expulit, vt salutem proximorum, quos perire cernebat, sollicitè procuraret: eoque studio sic efferbuit, vt viris sapientibus concionatoribus, prælectoribus, scriptoribus dotes illas inculpatissimè inuideret: optabat quippe Apostolicas functiones obire, vt vniuersarum animarum lucra contraheret.

Plurimos ad res diuinas exemplo, & hortatu, grauissimos præsertim Patres, Petrum Iuagnez, & Vincentium Varronem perduxit: quorum progressionem demirata est.

Tot animas è purgatorio igne, suis precibus liberauit, vt (quod ipsa disertè ait) si scriberentur, molestiam lectori generarent: corporibus autem sanitatem, animis verò culparum veniam sæpissimè obtinuit.

Aegrotis amantissimè aderat: & si quid modicum (quod frequenter accidebat) in-

ter omnes diuidendum ſuppeteret, tametſi valerent, alijs hilari vultu tribuebat; profeſſa alijs illud dare malle, quàm eo vti.

Quos ſibi patiebatur infeſtos, vt eius comites identidem viderunt, inſigni amore proſequebatur, & ſuauiſſimis verbis, non tam ne ipſi nocerent, quàm vt illis ipſa prodeſſet, placare ſtudebat. Fidem facit lenitas illa, cum cœnobium Fratrum validè ipſi aduerſantium, prætergrediens, licet extra viam, illò diuertit. Quod cum ab alijs reſcitum eſſet, & ne vnus quidem cum ea verba facere vellet, perſtitit lenis, & hilaris, ſinguloſque ſeorſim vocatos, per integrum ferè diem alloquuta ſic flexit, vt cum veſperi recederet, hoſpitalitatem acephalam longo fine clauſuri eam extra cœnobium comitati, ſe diſceſſum ægrè ferre, ſolos remanere, ſanctitatem illam mirati, protulerint.

At ea potiſſimùm charitas laude digna eſt, quæ alijs bona, ſibi mala conſciſcit. Ex quo genere fuit affectus ille, quo Sacerdotem turpiſſimis peccatis (vltra biennium)

obno-

obnoxium, sacra se confessione purgare non audentem excepit: & obnixè pro illo deprecata, eò perduxit, vt se pœnitentiæ Sacramento expiaret. Cum verò scripsisset, grauissimè se tentari B. Virgo ea sibi tentamenta, libertatem Sacerdoti à Deo precibus impetrauit, & requieuit ille, ipsa verò per mensem, dirissimè vexata fuit.

Nihil animus charitate fœcundissimus prætermisit, quod ad omnes partes amoris explendas, vllo modo conduceret.

Cultus Eucharistiæ, & Sanctorum Cap. IX.



DVM Monasteria conderet, id quod vires instaurabat, & ad itinera, & mala quæuis perferenda B. Virginem Teresiam acuebat, Eucharistiæ potissimùm cultus erat: fore scilicet ædes sacras plures, vbi Christus Sacramento velatus coleretur.

Ab ineunte proposito austerioris vitæ, in ipso Incarnationis Monasterio, quotidiè

pane illo cæleſti ali conſueuit: & ad lautum Dei conuiuium, ne cum venialis culpæ cō-ſcientia, quam non prius pœnitentiæ Sacramento repurgaſſet, vnquam acceſſit: cuius exemplo, frequentior panis Euchariſtici ſumptio in morem inducta eſt.

Sæpe ſolo acceſſu Euchariſtiam perceptura, vexationes animi, corporiſque dolores expunxit. Per annos vero triginta, Dominica Palmarum, Chriſtum à feris Iudæis ad prandium non inuitatum, & Bethaniam redire coactum miſerata, Euchariſtiam ea mente ſumpſerat, quaſi ad conuiuium Chriſtum excepiſſet: quod tam illi fuit acceptum, vt anno trigeſimo ſumpto Sacramento traiecto, ſuſpenſa remanſerit, ac in ſe reuerſa os plenum ſanguine, faciem, corpuſque conſperſum habere, incredibili cum oblectamento, ſibi viſa fuerit. Cui tunc Chriſtus: Volo filia, ſanguis meus tibi proſit: ne timeas me tibi defuturum: ego ſummo cum dolore ſanguinem profudi, tu illo ſumma cum ſuauitate perfrueris, vt experiris. Conuiuium, quod hac die

mihi paraſti, bene tibi repenſo.

Crebrò admodùm in eo cæleſti paſtu extra ſe ferebatur, & fructum indè copioſiſſimum referebat.

Profectò poſt annos ferè quinque, quibus in Abulenſi Monaſterio demorata eſt, poſt Euchariſtiam ſumptam, computatis diebus, maiori ex parte, ecſtaſim pati conſueuit: nec à feneſtella, per quam, cæleſtis panis porrigebatur, ſe frequenter mouere poterat, donec indè ab alijs auerteretur: & quod omnes vehementiùs commouit, die quodam, qui ſanctiſſimo P. noſtro Ioſeph ſacer erat, cùm poſt Sacramenti ſumptionem in choro eſſet, à terra palmos duos, aut tres, extolli viſa eſt.

Toleti verò, cum Euchariſtia recepta, ſtaret immobilis, Monialis quædam, quid ageret ignara, illam conatu quàm poterat maximo, vt ſederet, loco mouere, manuſque marmoris inſtar ſtupentes contrectare nixa eſt: ſed incaſſùm luctata eſt, donec B. Virgo Tereſia à raptu euigilauit. Sed nimis prolixum eſſet affectiones à

ſacra ſynaxi ſubeuntes recenſere.

Mirabatur impensè Maieſtatem modico Sacramento incluſam: vnde affectum reuerentiæ religioſiſſimum concipiebat.

Hinc Sacerdotum veneratio mira, vt cũ Malagonum ingreſſa in media oppidi platea, Sacerdotis iunioris benedictionem genibus flexis poſtulauit: hinc ornatus templorum, & altaris mundiſſimus, & pro ſtatus modo, pretioſus: hinc vt Sacramentum frequentaretur, inſtitutio: hinc denique, quidquid religionis eò conferens potuit excogitare, ortum eſt.

Catalogus hic ab iijs hiſtoricis aliter diſponitur: ſed in re ipſa sũma conſenſio eſt.

Sanctos ſtudioſiſſimè coluit: quorum hic catalogus, eodem ordine ſubiectus, quẽ ipſa digeſſerat: ſanctus Ioſeph, ſanctus Albertus, S. Cyrillus, omnes ordinis Sancti, omnes Angeli, peculiariter cuſtos, Patriarchæ, S. Maria Magdalena, decem millia Martyrum. S. Ioannes Baptiſta, S. Ioannes Euangeliſta, S. Petrus, S. Paulus, S. Auguſtinus, S. Dominicus, S. Hieronymus, S. Rex Dauid, S. Franciſcus, S. Andreas, S. Bartholomæus, S. Iob, S. Gregorius, S. Clara, S. Maria Aegy-

ptia, S. Catharina Senensis, S. Catharina Martyr, S. Stephanus, S. Hilarion, S. Sebastianus, S. Vrsula, S. Anna, S. Elisabetha Hungariæ, Sanctus menstruæ sortis, S. Angelus.

Beatissima Virgo, vt Sanctorũ Regina, in catalogo inferiore scribenda non fuit. Horum ergo Sanctorũ cultui deditissima, & apparitionibus sæpe recreata fuit: quod vno, è multis patebit exemplo.

Cum Abulam Segobia esset discessura, cœnobium P. P. Dominicanorum inuisit: vbi sacellum augustissimum est, in quo clarissimus ille Sanctus se miris modis exercuit, multumque sanguinem fudit. Eo ingressa iuxta altare oratura procubuit, à sinistroque latere S. Dominicus apparuit. Sed reuocata tunc à P. F. Didaco Ianguez ei confitetur, sacro interest, Eucharistiam sumit, & iterùm suspensa, eundem Sanctum ad læuam intuetur. Rogat cur ad læuam? Respondet ille: Dexter locus meo Domino debetur. Respexit mox B. Virgo Teresia à dextera Christum, mediaque honore amplissimo remansit. Sed Christus post

modi-

modicum receſſit aiens: feſtiuiter age cum amico meo: qua venia per horas ferè duas Illuſtriſſ. Patriarcha cum Virgine verba fecit: quæ in eo ſacello præſtitiſſet, quæ dona cæleſtia recepiſſet, aperuit: manumque illius in amicitiæ fœdus, tenuit, & opem ad Congregationis promotionem pollicitus eſt. Verùm ad virtutes alias feſtinemus.

Fiducia, & Magnanimitas. Cap. X.



VAM generosè ſperauit (hoc enim eſt fidere, tam luculenter, quæ tribus libris ſunt digeſta demonſtrant, vt argumentis extrinſecùs affixis opus non ſit. Mulierem quippe ſeptam, ægram, ſolam, compeditam, tentatam, deriſam, inopem, ſic audere, ac propoſitum quod animo conceperat, contra totius orbis impetum, fœliciter ſucceſſurum ſibi perſuadere, res noua, fides noua eſt: cui benè poſſit acclamari; O mulier magna eſt fides tua.

Cœpit grandia, & mundi opinione de-

ſperanda, & in ipſis Monaſteriorum initijs, Abulæ præſertim, Medinæ, ac Hiſpali, cum vix paucos obolos haberet, opera, quæ multis millibus conſtarent, aggreſſa, nec vndè aut quo pacto illa corraderet meditata, omnia ſibi de Chriſti ærario immobili fide promiſit, & abſoluit.

Nulla illam aduerſitas fregit, nihil, niſi culpam timuit, & vt encomio Abrahæ digna in ſpem contra ſpem credidit: cũ enim primores multarum Vrbium, Patres grauiſſimi, amici, conſanguinei obſtarent, cum tartarus ſæuiret, & ipſe quoque Deus, ad examen fidei illam repelleret, ſemper quæ ſtatuerat euaſura confidit.

Magnanimitas illius ingenij proculdubio grandis, multis in euentibus enituit. Cũ enim eius virtutis laus in eo poſita ſit, vt mediocria non curet, & magna in quouis opere virtutum quarumlibet exquirat; per ſe quidem patet, B. Virginem Tereſiam animi magnitudine claruiſſe, cum nihil mediocre, ne dùm paruum, ſed omnia magna deſignarit. Quid enim grandius, quàm ab

ineunte ætate,puellulam domo paterna excedere,vt occaſionem Martyrij, quam cupiebat,exquireret? adoleſcentem clàm inuito patre,domo diſcedere? priuatam Monialem, primi Monaſterij modicam auſteritatem ſibi ſatis non eſſe decernere? maiora ibi auſpicari? Apoſtolico more ſemper ad vlteriora intendere? inde prodire? cœpto grandi, priſcorum Sanctorum diſciplinam reſtituere,tueri,ac denique perficere.

Cum aduerſitates ingruerent, puta cum cœpta illa ſua Patrum Carmelitarum feruor propemodùm euertit, tantum abeſt, vt quod mulieribus familiariſſimum eſt,fleret, aut imbecillitatis ſigna ederet, vt inuicto animo alios potiùs erigeret, ac ſolaretur.

Cum itinerum diſcrimina imminerent, vt cum Burgos, contra vniuerſorum prudentum vota,per medias niues,paludes,fluminum exundationes petiuit; qua fide, ac magnanimitate polleret,facilè patuit. Abula Medinam contendens nox denſiſsima ad fluminis ripam incubuit, præſenſque pe-

riculum itineris comites adeò terruit, vt fluuium traijcere non audentes attoniti hærerent. Tunc illa, non expedit, ait, hic ſub dio maneamus: traijcite, Deumque orate. Mox autem ipſa periculum aggreſſa eſt: ſtatimque quaſi fax quædam aliquantùm diſſita præire, ac prælucere viſa eſt, donec omnes incolumes tranſierunt: nullum quippe diſcrimen expauit.

Optimates quidam aliquando comminati ſunt B. Virgini Tereſiæ ſe minimè fauturos, niſi eorum neſcio quibus optatis morē gereret. Reſpondit excelsè: ſi quid ab ea impetrare vellent, id potiùs facturos, vt oſtenderent culpam eſſe, non eis aſſentire, aliter ſe nihil metuere.

Magnanimitatis certè argumentum fuit grauiſſimos viros, apud quos malè audijt, fidenter, ac frequenter adire, nec vllam cenſuram expauaſcere. Sed cum elogium hoc imperfectum relinquere, aut omnes vitæ B. Virginis Tereſiæ actus percurrere neceſſe ſit, ad alia tranſeamus.

Humilitas. Cap. XI.



AD capita duo, interius, nempe ac exterius, quidquid ad huius virtutis cultum spectat, redigemus. Habet autem sedem in affectu, originem in intellectu, propriam vilitatē agnoscentem; ne animus, in altiora, quàm deceat efferatur.

Quàm verò sublimiter in proprijs culpis expendendis, ac exaggerendis se B. Virgo Teresia exercuerit, ex eius scriptis tam facilè constat, vt timendum sit, ne tam alijs grauia videantur, quàm ipsi, quæ illa libentiùs quàm diuina visa disseruit, & euulgari optauit, ac petijt.

Nihil ei molestius, quàm se magnificeri cernere: quamobrem Abula, vbi colebatur, excedere, & alio, vbi nesciretur, Monasterio recondi; quin & inter laicas, aliarum obsequijs destinatas recenseri exoptauit.

Contigit aliquando, vt immoraretur in

loco, vbi modicam de ſe exiſtimationem eſſe perſpexit, quod ſingulari lætitia perfuſa Confeſſario cuidam ſuo per literas teſtata eſt: dicereque ſolebat, mirari ſe, quo pacto, ſi quid efficeret, aut diceret, ei ab alijs fides haberetur: tam indigna enim fide ſibi viſa eſt, cum tamen diuino lumine ſplenderet.

Diuinas affectiones accuratiſſimè celabat,& ne ab alijs cernerentur, raptibus publicè ſubeuntibus, qui aliquando corpus è terra ſubleuabant, validè reluctabatur: tametſi ſæpe fruſtra niteretur.

Si quid fortaſſe laude dignum de ſe inopina dixiſſet, artificiosè verba interpretabatur, vt aliud longè diuerſum cogitaretur.

Cum Hiſpali multa de B. Virgine Tereſia falſa euulgarētur, grates, inquit, ago Deo, quia Vrbs hæc me benè nouit, alibi enim minimè agnoſcor. Sed rem teſtatiſſimam externis indicibus probemus.

Mos illi erat alias minùs prouectas ſententiam rogari, officij diuini dubia puellis proponere, viliora obſequia frequenter

obire, ſcopas, ſportas alacriter exercere, ſi aſperiùs locuta fuiſſet, veniam precari, ijs quæ Monaſterijs præerant, inſigniter deferre, loco cedere, venientibus aſſurgere, in cœnaculo ſe proſternere, culpas publicè proferre, nullam, dum admoneretur, excuſationem pretexere.

Corripuit illam aliquando ſuperior quidam, cur pateretur, ſe fundatricem appellari: reſpondit eam ipſe appellationem interdiceret, ipſa quippe non magis titulum animaduerterat, quàm ſi Tereſia nuncupata fuiſſet. Die verò quadam, cum Moniales prāderent, ritu quadrupedis lapidibus onuſta, fune collum obligata (alijs interdùm ſub oneribus) in cœnaculum ingreſſa, culpas multa cum animi demiſſione, quaſi recenter induta, & grauium criminum accuſanda, deprompſit: ſed huiuſmodi actus enumerare nimis operoſum eſſet.

Miro caput hoc aſſerto claudamus. Inter laudes multiplices, & opera honore digniſſima nunquam inanis gloriæ vanitate tacta fuit: neque vnquam huius generis cul-

pam

pam, à qua se sacra confessione expiaret, quod ipsa animaduerteret, admisit.

Patientia. Cap. XII.


B infantia grauissimis morbis fuit obnoxia, è quibus nõnulli intercalati, alij ad obitũ vsque perẽnes, morbus comitialis, iliacus, ischias, tremores, vomitus, febris: adeò, vt quinquẽnio antequàm obiret, se per annos 40. diem nullum à dolore feriatum duxisse affirmauit: quæ omnia patientissimè pertulit.

Pro condendis Monasterijs incommoda innumera, fames, sitis, pluuia, nix, inopia, vigiliæ, labores improbi, lassitudo, tædia, & eius generis alia constantissimè exhausta subierunt.

Sæuierunt hominum repulsæ, insectationes, detractiones, importunitas, in quibus pectus adamante fortius exhibuit, vt latiùs prioribus libris ostensum est.

Cum ex more, facta impensè oratione,

alicuius animæ ſalutem impetrauerat dæ-mon rabiem effrænem in eam regerebat, vt cum erepta quadam præda, victricem Virginem per horas quinque diriſſimè intùs, & exteriùs excruciauit : quod illa quaſi puerum Aethiopem, poſt eas horas, conſpicata cognouit.

Abulæ cum die quadam, lucernulam ferens, in chorum ſe conferret, è ſumma ſcala à dæmone deuoluta, brachio perrupto, & curatione aliquantum dilata, dolorem, vt oſſa committerentur, acerrimum, ac diuturnum, mirabili planè (vltra quàm dici poſſit) patientia tolerauit.

Multa honoris decrementa, lætiſſima fronte ſuſcepit. Cum iter ageret in oppido quodam (cui Puebla nomen eſt) ſacrificio interfutura, templum ingreſſa Euchariſtiã ſumpſit : multi verò eam mulierem parùm honeſtam, neſcio vnde, ſuſpicati, eò inſaniæ proruperunt, vt dicerent, eam capi expedire. Vt verò Sacramentum ſumpſiſſe conſpexerunt, vehementer commoti acceſſere, ſuſcitantes, qua fronte Euchariſtiam ſuſci-

pere ausa fuisset? comminatique sunt antequàm indè obire sineretur explorandum cuiusmodi mulier esset. Templum intereà, ob festum, quod tunc agebatur, frequentissimum, intermissa festi cura, murmure quodam vehementer feruere cœpit.

Hæc dum imminerent, Beata Virgo Teresia summoperegauisa, nihil omninò pro se respondit, neque enim Christus dum accusaretur quidquam pro se causatus est. Aestuabat autem celebritas animis, & oculis in eam intentis: & nisi P. Antonius à Iesu ea regione notus tunc apparuisset, & gentẽ sedare curasset, acrior impetus dubio procul ingrueret: furentem tamen populum ea conditione placauit, vt mitteretur, qui mulierem comitatus exploraret, quo illa contenderet.

Multa indignissimè populus effutijt, quę audire animus horrebat, quæ tamen B. Virgo Teresia mitissimo animo, hilari vultu sic excepit, vt diceret, nihil ab ea Deo in hoc murmure offerri posse, quod nihil molestiæ inferretur.

Cum

Cum verò eius ſocia Eliſabetha à Ieſu puriſsimi candoris illius conſcia, ſe probra illa nimis contumelioſa ferre non poſſe diceret; hilari vultu B. Virgo Tereſia reſpondit: filia certò ſcias, noſtris auribus harmoniam ſuauiorem inſonare nō poſſe: vt enim verum fatear, populus non abs re ſic opinatur: & quandoquidem ictibus parcit, quid mirum, ſi verba faciat?

Cum ex oppido Paſtranæ, curru à Principe Ebuli commodato, Toletum B. Virgo Tereſia vecta fuiſſet; Sacerdos quidam, qui amentia laborabat, eam in hunc modū aggreſſus eſt: Tune es illa ſanctitate clara, quæ curru veheris, & mundo imponis? quibus ſane verbis, alia quotquot libebat, adiecit. Illa verò neſciens amentem eſſe, mitiſsimè audiuit, nec aliquam excuſationem prętexuit. Poſtmodùm aiebat, ab vno illo, ſed à nemine alio ſe vera accepiſſe: & quamuis hominem captum mente reſciſſet, admonitione illius ſic vſa eſt, vt in poſterum oblatos à Principibus currus reſpueret, communia plauſtra requireret.

Cæ-

Cæterùm non mundus tantùm, & dæmones, ſed ipſe quoque Deus multis ictibus pectus illud exercuit: nam per annos viginti duos ariditate moleſtiſsima Virginem plexuit.

Verùm euentus notatu digniſsimos, quibus patientia reſplenduit, fruſtra conamur exprimere, cum & numero, & magnitudine excreuerint.

Corporis caſtigatio, ſeu pœnitentia. *Cap. XIII.*



VAMDIV per morborum intermiſsionem licuit, præter victum parciſsimum, lectũ duriorem, veſtes admodùm rudes, ſe totam auſterè nimis exercuit. Verberibus tremendis, flagello ferreo in id coaptato, virginea membra ſæpe caſtigauit. Ieiunijs, vigilijs, perpetua vini abſtinentia corpus innoxium afflixit. Cilicio aſperrimo corpus paralyticum, & ſenio quoque confectũ torſit, quod animus audire horret. Spinis inter-

dum se peruolutauit, ne quid in corpore purissimo incruentum extaret.

Vulnera verberum computrescebant, & nouis ictibus, vt recrudescerent, illa proscindebat. Et cum totius vitæ decursu grauiter ægrotaret, quasi acerrimi dolores, & morbi non satis corpus castigarent, summo mœrore conficiebatur, quod acriùs carnẽ plectere nequiret: Confessarij quippe id interdixerunt.

Cum Abulæ Monasterio condito, Virgines illæ mira æmulatione feruerent, duæ ex illis, quæ Pium V. Pont. Max. sanctitate laudatissimum, pro subucula, rudiore panno vsum fuisse acceperant, à B. Virgine Teresia similem vestem exposcunt: quod illa se primùm experiri velle respondens, sic præstitit, vt Monasterium totum in eam imitationem allexerit. Sed prima illius experimenti die subijt timor, ne pediculis scaterent, & propterea supplicationem à Choro ad B. Virginis Teresiæ cellam ducunt: Superuenit illa, & bono animo esse iubet, animalia illa eas non infestatura: quod exi-

tus

tus comprobauit: ab eo quippe die nihil eius generis in vestibus inuentum est.

Oportuit autem tunicas illas, Confessariorum, Medicorumque præcepto posteà deponere, quòd omnes ægrotarent.

Torquebatur B. Virgo Teresia animosa valde, quod per Confessarios, asperrimè se vexare nō liceret, & cogitationes erumpebant, foretne satius, in hac re, non obtemperare: sed adest Christus, & sic eam affatur: Absit ò filia: rectam tutamque viam carpis: pluris obedientiam hanc, quàm pœnitentiam facio.

Institit quoad potuit: sed parendum fuit.

Verùm hic credendum non est, lectorē aliquem fore tam rudem, qui animi ægritudines, & corporis morbos infestissimos, seueriorem, quàm vltrò acceptam, castigationem fuisse nesciat: quippe malè affecta corpora, perenni quasi tabe consumuntur, & prolixo martyrio demùm intereunt.

Paupertas. Cap. XIV.



VLLIS verborum amplificationibus B. Virginis Tereſiæ Apoſtolica paupertas æquari poteſt: quod ex Monaſteriorum inſtitutione apertè perſpicitur. Quantùm enim mercatores auari opibus, tantùm illa lætabatur inopia, quod Abulæ, Toleti, Hiſpali, victu penè deſtituta luculenter oſtendit.

Redditus exhorruit, & vix grauiſſimorum Theologorum auctoritate ad eos alicubi admittendos flexa eſt. Veſtes obſoletas, & laceras affectauit: labori, ad victum conquirendum tam dedita fuit, vt cum ad clathrum negotia expediret, à labore quoad res ferebat, minimè deſiſteret.

Ampla ædificia deteſtabatur, & rudes domos impensè amabat, ſcriptoque conſulebat: nam res maximi ponderis eſſe oraculo didicit.

Obierat quippe clariſſimus ſanctitate P.

F.Pe-

F. Petrus de Alcantara, qui adhuc viuens B. Virgini Teresiæ paupertatis cultum summoperè commendarat: & cum paries, quo monasterium claudebatur, tunc extrueretur, monuit, per visum, ne calcis tectorium induci permitteret. Cui illa, cùm citò sine calcis crusta ruiturum obijceret, respondit ille grauiter: si corruerit, aderit, qui restituat.

Multis ex capitibus paupertatem laudabat: & animos, ne timerent quid sibi defuturum, acuebat.

Obedientia. Cap. XV.

DE obedientia illa, vsque ad miraculum eximia, nihil dignum efferri potest. Sic enim non solum Superiorum, verùm aliorum, quos gratis consulebat, consilijs paruit, vt viri sapientes hic, si vspiã, iure obstupescant.

Cum enim Monasteria condere cœpisset, cum honoris, commoditatisque iactura,

leui Superiorum nutu, imperfectum opus, corde sedato, sic deposuit, quasi ad nuptias vocaretur: vt Abulæ, cùm à S. Ioseph Monasterio ad Incarnationis Monasterium reuocata fuit, satis ostendit.

Verùm illud planè diuinum est, quod cum per cælestia visa, de rebus edocta fuisset, sic superioribus arcano Dei consilio, diuersè opinantibus parebat, ac si nihil cælitùs didicisset.

Contulit aliquando cum P. F. Hieronymo à Matre Dei Prouinciali, qui Apostolicus commissarius, ac Visitator P. Carmelitarũ, tum Mitigatorum, tum Discalceatorum Beticæ, & Castellæ recenter à Nuntio Apostolico creatus fuerat, eamque, in oppido Veàs propagationi nouæ suæ reformationis intentam offenderat, de Castella repetenda, vt obiter Monasterium Carauacæ conderet, iniunxit verò Pater ille, experiendi cupidus, oraret B. Virgo Teresia, quid Deo foret acceptius, Madritum, ac proindè Castellam, an Hispalim, ac proinde Beticã petere. Consuluit oraculum, & ac-

cepit à Christo Madritum esse migrandum: P. Prouincialis respondit, contrariam sententiam potiùs sibi probari, ac ob id confestim Hispalim abscederent. E vestigio B. Virgo Teresia paruit; licet enim rei exitus à Deo illi reuelatus fuisset, & eo discessu iuxta hominum consilia, res malè cessura videretur, altiore prudentia siluit, & discedere se parauit.

Exacto biduo, triduoue, P. Prouincialis Virginem rogat: Nonne dicebas tibi à Domino reuelatum, Madritum peti debere? Respondit illa: dicebam sanè, at eo visu seduci potui, tibi verò Pater, dum obedio, seduci non possum. Subiunxit ille: Rem expenderet, ac Deum oraret. Posteroque die sciscitatur, quidnam à Deo accepisset? Subdit illa: Idem certè quod priùs: ac rem pro voto euenturam, ea ipsa via, quam Superior probasset, non quæ sibi visa fuisset.

Cæterùm quid mirum, si Prælatis cedat, quæ Confessarijs electione, non voto præpositis exactissimè obtemperabat. Profectò illi, qui Cantici Salomonis explanationem

discerpere iussit, vbi iuxta prudentiæ regulam repugnandum erat, dicto citiùs se submisit.

Dicere solebat pluris se facere vnum Superioris, vel Confessarij verbum, quàm millenas reuelationes: nec ob vllam mundi totius arduitatem, quæ ab illis iniungerentur, se prætermissuram.

Lętissimo Pentecostes die, cùm in recessu meditaretur, quam Spiritui Sancto gratiam pro beneficio singulari, anteacto tempore sibi eo die collocato, referret; nihil se maius efficere posse rata est, quàm si Prouinciali, sic se voto peculiari obstringeret, vt ei nullam culpam, si quam committeret, occuleret: quod voti genus sublimissimum est. Cogitatio verò illa terruit animum, omnis quippe libertas extingui videbatur, cum iam quicquid in mentem veniret, Prouinciali illi necessariò aperiendũ esset. At valide luctata, genua coram illo flexit, & fortissimè votum emisit: qua victoria, quæ nimium arctanda videbatur, cor lætissimum adepta est: mira enim post

votum gaudia ſuccreuerunt. Sed cùm totius vitæ opus obedientiæ cultus fuerit exactiſsimus, ad vlteriora procurramus.

Gratitudo. Cap. XVI.



AC virtute mirum in modum reſplenduit. Non enim Deo tantùm, Prælatis, & Confeſſarijs, quorum maiora bona gratum animum generant; ſed ipſis Monialibus à quibus modica obſequia reddebantur, tam ſe obnoxiam exiſtimabat, ac ſi ſerua empta fuiſſet.

Externis verò pro exiguis eleemoſynis intimum rependebat affectum, quò in genere, quamuis tot ſcribi poſſent elogia, quot accepit beneficia, quæ inſigni gratitudine repenſabat, duo tamen breuiter recenſenda.

Vnum, cum aliquando iter ageret, homo quidam vrceũ aquæ porrexit: cuius officij memoria tam fuit impreſſa, vt per annos multos, dum oraret, peculiariter illud recolere meminerit.

Alterum erat, vni è Monasterijs à sacris confessionibus Sacerdos quidam, qui loco alijs de causis nocebat, & acriter aduersabatur. Monialis verò, quæ præerat B. Virginem Teresiam monuit, vt eum loco cedere iuberet, respondit illa, per Deum obsecro, filia, ne de homine repellendo mecum agas, sed sileas, & patienter feras, quantumuis fastidia generet: non enim ferre possum ingrati animi notam, erga eos, a quibus beneficium collatum est. Memini autem hũc, cum de domo quadam emenda ageretur, & venditores nobis imponere pararent, de dolo nos admonuisse. Exiguum sanè verborum beneficium, operibus compensauit.

At & huius, & aliorum virtutum exẽplis, incuria eorum, qui B. Virginis Teresiæ consuetudine fruiti sunt, penè innumeris caremus.

Pru-

Prudentia. Cap. XVII.

NON oporteret ſanè peculiares prudentiæ actus in mediũ proferre. Cum enim proprius huius virtutis actus ſit præcipere, agẽdaque præſcribere; quis non ſtatim animaduertat, Virginem hanc, vnam fuiſſe è numero lætiſſimo prudentum, quæ tam diuinis præſcriptionibus Remp. ſuam adminiſtrauit?

Sic præfuit, vt animos non cogeret, ſed quo vellet, ſuauiſſimè duceret: cum enim ſe adeò amabilem exhiberet, cordibus primum, corporibus deindè dominabatur.

Sic temporalia prouidit, vt non affluerent, nec, ſi poſſet, deeſſent: ſic auſteritatem temperauit, vt caſtigaret, non opprimeret.

Culpas ſic oderat, vt perſonas amaret, & ſic reprehendere conſueuit, vt earum execrationem, non corripientis odium ingeneraret: quod lenitatis, & grauitatis temperie nacta eſt.

Omnium ingenia explorabat, atra bile vexatis facilè parcebat, sed nihil indecorum tolerabat.

Aegrotantibus amantissimè aderat: verbis, & obsequijs opem ferebat.

Mites, ac studiosas Moniales tenere diligebat: duriores imperio domabat.

Vt preessent perspicaces, prudentes, legum custodiæ deditas optabat: nec ineptas gubernationi, per modicum quoque tempus, ferendas aiebat; quod bonum commune breui labefactarent.

Decretis temporibus laborum intermissionem, sed nullum perfectionis detrimentum permittebat.

In iis, quæ admittendæ forent, non tam pium affectum, quàm intellectum benè dispositum requirebat: cuius rationem à quodam viro doctissimo rogata respondit, affectum intra claustrum acquiri, intellectum verò minimè: immò quæ modici captus essent, ad omnem virtutis cultum ineptas, & alijs etiam noxias esse: quæ certè ratio prudentia illa cælesti digna videtur.

Si

Si quas diuinis affectionibus habebat insignes, & vniuersè omnes cum peritissimis Theologis conferre iubebat: semper enim doctrinam eximiam exquisiuit, & coluit.

Sed prudentiæ infusæ laude apertè celebratam, nemo est, qui possit ignorare; cum de serijs negotijs passim conueniretur, & oracula cælestia ederet, quæ nisi diuinitùs edocta, nunquam protulisset.

Puellæ cuidam exacto iam anno ad professionem admissæ, cras, inquit, profiteberis. Respondit illa: Expectabo matrem meam, si ita iubeas: cupiebat enim matrem eò venturam, professioni interesse. statim ac verba hæc prompsit, subiunxit B. Virgo Teresia: Profecto in Congregatione nostra minimè profiteberis: nec vllo modo obtineri potuit, ne illam repelleret: Discessit, & sic à febre intra paucos dies interijt.

Aliam quandam iam professioni proximam contra totius Monasterij preces abiecit, nec, nisi causam cuiusdã corporalis notæ, quæ sanè leuissima erat, prætexere voluit. At consilio diuino id actum postmodũ

patuit: nec defuit, cui Deus id manifestaret.

Simili quoque repulsa neptem suam quãdam, nullis Monialium, vel consanguineorum precibus victa, reiecit.

Erant in Monasterio quodam Moniales duæ, orationis, & affectionum diuinarum fama celebres, quæ nisi Eucharistiam quotidie sumerent, animam efflare videbantur: Confessarijque non imperiti, Virginibus tã grauiter affectis quotidiano remedio succurrendum censuerant. Sed res eò processit, vt nisi summo mane Eucharistiam reciperent, viderentur interire. Monita de re B. Virgo Teresia, quę tunc aberat, obstare decreuit: sed siluit, donec eò veniret, & Confessarijs, cur eis dissentiret, rationem exponeret. Venit, & licet non omnes æquè verba caperent, seuerè tamen pręcepit Monialibus ne sic agerent, aiens: Ego quoque similibus æstuo desiderijs, & interdùm abstineo: quapropter omnino statuatis aliarum more vos abstenturas. Moriamur omnes: satius enim est mori, quàm singularem hũc

mo-

morem obtrudere;cum ſint aliæ ęquè Deũ amantes,quibus idem agere libebit. Diem ergo illum mœſtiſsimè duxerunt: minùs grauiter proximum: tertium leuiùs. Ac in hunc modum ad communem,ac tutam viã reductæ ſunt: quod B.Virginis Tereſię prudentiæ vertendum eſt.

Non immeritò hic annecti poteſt ſpirituum diſcretio,qua multorum laqueos diſſoluit.

Homo quidam ruſticus, opinione aliorum ſanctus, de ſuis affectionibus Beatam Virginem Tereſiam conuenit: ſeque cum Deo verba miſcere, aliaque ſublimia teſtatus eſt. Mox illa errorem deprehendit, & eius Confeſſarium ſecretò monuit, ne illius nomen oſcuraret. Nauauit operam,vt à viris ſapiẽtibus erudiretur,& obedientiæ actibus,& corporalibus obſequijs exerceretur; quæ cum ille reſpueret, paulò poſt amentiam ſuam publicauit.

Monialis quędam, ex alia Religione, ſe ieiunijs,ac vigilijs confecerat.Et quoties aliquis nouus ardor affectione ſubibat, vel

Eu-

dum se peruolutauit, ne quid in corpore purissimo incruentum extaret.

Vulnera verberum computrescebant, & nouis ictibus, vt recrudescerent, illa proscindebat. Et cum totius vitæ decursu grauiter ægrotaret, quasi acerrimi dolores, & morbi non satis corpus castigarent, summo mœrore conficiebatur, quod acriùs carnē implectere nequiret: Confessarij quippe id interdixerunt.

Cum Abulæ Monasterio condito, Virgines illæ mira æmulatione feruerent, duæ ex illis, quæ Pium V. Pont. Max. sanctitate laudatissimum, pro subucula, rudiore panno vsum fuisse acceperant, à B. Virgine Teresia similem vestem exposcunt: quod illa se primùm experiri velle respondens, sic præstitit, vt Monasterium totum in eam imitationem allexerit. Sed prima illius experimenti die subijt timor, ne pediculis scaterent, & propterea supplicationem à Choro ad B. Virginis Teresiæ cellam ducunt: Superuenit illa, & bono animo esse iubet, animalia illa eas non infestatura: quod exi-

tus comprobauit: ab eo quippe die nihil eius generis in vestibus inuentum est.

Oportuit autem tunicas illas, Confessariorum, Medicorumque præcepto posteà deponere, quòd omnes ægrotarent.

Torquebatur B. Virgo Teresia animosa valde, quod per Confessarios, asperrimè se vexare nō liceret, & cogitationes erumpebant, foretne satius, in hac re, non obtemperare: sed adest Christus, & sic eam affatur: Absit ò filia: rectam tutamque viam carpis: pluris obedientiam hanc, quàm pœnitentiam facio.

Institit quoad potuit: sed parendum fuit.

Verùm hic credendum non est, lectorē aliquem fore tàm rudem, qui animi ægritudines, & corporis morbos infestissimos, seueriorem, quàm vltrò acceptam, castigationem fuisse nesciat: quippe malè affecta corpora, perenni quasi tabe consumuntur, & prolixo martyrio demùm intereunt.

Paupertas. Cap. XIV.



VLLIS verborum amplificationibus B. Virginis Teresiæ Apostolica paupertas æquari potest: quod ex Monasteriorum institutione apertè perspicitur. Quantùm enim mercatores auari opibus, tantùm illa lætabatur inopia, quod Abulæ, Toleti, Hispali, victu penè destituta luculenter ostendit.

Redditus exhorruit, & vix grauissimo alirum Theologorum auctoritate ad eos alicubi admittendos flexa est. Vestes obsoletas, & laceras affectauit: labori, ad victum conquirendum tam dedita fuit, vt cum ad clathrum negotia expediret, à labore quoad res ferebat, minimè desisteret.

Ampla ædificia detestabatur, & rudes domos impensè amabat, scriptoque consulebat: nam res maximi ponderis esse oraculo didicit.

Obierat quippe clarissimus sanctitate P.

F. Petrus de Alcantara, qui adhuc viuens B. Virgini Teresiæ paupertatis cultum summoperè commendarat: & cum paries, quo monasterium claudebatur, tunc extrueretur, monuit, per visum, ne calcis tectorium induci permitteret. Cui illa, cùm citò sine calcis crusta ruiturum obijceret, respondit ille grauiter: si corruerit, aderit, qui restituat.

Multis ex capitibus paupertatem laudabat: & animos, ne timerent quid sibi defuturum, acuebat.

Obedientia. Cap. XV.

DE obedientia illa, vsque ad miraculum eximia, nihil dignum efferri potest. Sic enim non solum Superiorum, verùm aliorum, quos gratis consulebat, consilijs paruit, vt viri sapientes hic, si vspiã, iure obstupescant.

Cum enim Monasteria condere cœpisset, cum honoris, commoditatisque iactura,

leui Superiorum nutu, imperfectum opus, corde sedato, sic deposuit, quasi ad nuptias vocaretur: vt Abulæ, cùm à S. Ioseph Monasterio ad Incarnationis Monasterium reuocata fuit, satis ostendit.

Verùm illud planè diuinum est, quod cum per cælestia visa, de rebus edocta fuisset, sic superioribus arcano Dei consilio, diuersè opinantibus parebat, ac si nihil cælitùs didicisset.

Contulit aliquando cum P. F. Hieronymo à Matre Dei Prouinciali, qui Apostolicus commissarius, ac Visitator P. Carmelitarũ, tum Mitigatorum, tum Discalceatorum Beticæ, & Castellæ recenter à Nuntio Apostolico creatus fuerat, eamque, in oppido Veàs propagationi nouæ suæ reformationis intentam offenderat, de Castella repetenda, vt obiter Monasterium Carauacæ conderet, iniunxit verò Pater ille, experiendi cupidus, oraret B. Virgo Teresia, quid Deo foret acceptius, Madritum, ac proindè Castellam, an Hispalim, ac proinde Beticã petere. Consuluit oraculum, & ac-

cepit à Christo Madritum esse migrandum: P. Prouincialis respondit, contrariam sentẽtiam potiùs sibi probari, ac ob id confestim Hispalim abscederent. E vestigio B. Virgo Teresia paruit; licet enim rei exitus à Deo illi reuelatus fuisset, & eo discessu iuxta hominum consilia, res malè cessura videretur, altiore prudentia siluit, & discedere se parauit.

Exacto biduo, triduoue, P. Prouincialis Virginem rogat: Nonne dicebas tibi à Domino reuelatum, Madritum peti debere? Respondit illa: dicebam sanè, at eo visu seduci potui, tibi verò Pater, dum obedio, seduci non possum. Subiunxit ille: Rem expenderet, ac Deum oraret. Posteroque die sciscitatur, quidnam à Deo accepisset? Subdit illa: Idem certè quod priùs: ac rem pro voto euenturam, ea ipsa via, quam Superior probasset, non quæ sibi visa fuisset.

Cæterùm quid mirum, si Prælatis cedat, quæ Confessarijs electione, non voto præpositis exactissimè obtemperabat. Profectò illi, qui Cantici Salomonis explanationem

discerpere iussit, vbi iuxta prudentiæ regulam repugnandum erat, dicto citiùs se submisit.

Dicere solebat pluris se facere vnum Superioris, vel Confessarij verbum, quàm millenas reuelationes: nec ob vllam mundi totius arduitatem, quæ ab illis iniungerentur, se prætermissuram.

Lętissimo Pentecostes die, cùm in recessu meditaretur, quam Spiritui Sancto gratiam pro beneficio singulari, anteacto tempore sibi eo die collocato, referret; nihil se maius efficere posse rata est, quàm si Prouinciali, sic se voto peculiari obstringeret, vt ei nullam culpam, si quam committeret, occuleret: quod voti genus sublimissimum est. Cogitatio verò illa terruit animum, omnis quippe libertas extingui videbatur, cum iam quicquid in mentem veniret, Prouinciali illi necessariò aperiendũ esset. At validè luctata, genua coram illo flexit, & fortissimè votum emisit: qua victoria, quæ nimium arctanda videbatur, cor lætissimum adepta est: mira enim post

votum gaudia succreuerunt. Sed cùm totius vitæ opus obedientiæ cultus fuerit exactissimus, ad vlteriora procurramus.

Gratitudo. Cap. XVI.


AC virtute mirum in modum resplenduit. Non enim Deo tantùm, Prælatis, & Confessarijs, quorum maiora bona gratum animum generant; sed ipsis Monialibus à quibus modica obsequia reddebantur, tam se obnoxiam existimabat, ac si serua empta fuisset.

Externis verò pro exiguis eleemosynis intimum rependebat affectum, quò in genere, quamuis tot scribi possent elogia, quot accepit beneficia, quæ insigni gratitudine repensabat, duo tamen breuiter recensenda.

Vnum, cum aliquando iter ageret, homo quidam vrceũ aquæ porrexit: cuius officij memoria tam fuit impressa, vt per annos multos, dum oraret, peculiariter illud recolere meminerit.

Alterum erat, vni è Monasterijs à sacris confessionibus Sacerdos quidam, qui loco alijs de causis nocebat, & acriter aduersabatur. Monialis verò, quæ præerat B. Virginem Teresiam monuit; vt eum loco cedere iuberet, respondit illa, per Deum obsecro, filia, ne de homine repellendo mecum agas, sed sileas, & patienter feras, quantumuis fastidia generet: non enim ferre possum ingrati animi notam, erga eos, a quibus beneficium collatum est. Memini autem hũc, cum de domo quadam emenda ageretur, & venditores nobis imponere pararent, de dolo nos admonuisse. Exiguum sanè verborum beneficium, operibus compensauit.

At & huius, & aliorum virtutum exẽplis, incuria eorum, qui B. Virginis Teresiæ consuetudine fruiti sunt, penè innumeris caremus.

Prudentia. Cap. XVII.

NON oporteret ſanè peculiares prudentiæ actus in mediũ proferre. Cum enim proprius huius virtutis actus ſit præcipere, agẽdaque præſcribere; quis non ſtatim animaduertat, Virginem hanc, vnam fuiſſe è numero lætiſſimo prudentum, quæ tam diuinis præſcriptionibus Remp. ſuam adminiſtrauit?

Sic præfuit, vt animos non cogeret, ſed quo vellet, ſuauiſſimè duceret: cum enim ſe adeò amabilem exhiberet, cordibus primum, corporibus deindè dominabatur.

Sic temporalia prouidit, vt non affluerent, nec, ſi poſſet, deeſſent: ſic auſteritatem temperauit, vt caſtigaret, non opprimeret.

Culpas ſic oderat, vt perſonas amaret, & ſic reprehendere conſueuit, vt earum execrationem, non corripientis odium ingeneraret: quod lenitatis, & grauitatis temperie nacta eſt.

Omnium ingenia explorabat, atra bile vexatis facile parcebat, ſed nihil indecorum tolerabat.

Aegrotantibus amantiſſimè aderat: verbis, & obſequijs opem ferebat.

Mites, ac ſtudioſas Moniales tenere diligebat: duriores imperio domabat.

Vt præeſſent perſpicaces, prudentes, legum cuſtodiæ deditas optabat: nec ineptas gubernationi, per modicum quoque tempus, ferendas aiebat; quod bonum commune breui labefactarent.

Decretis temporibus laborum intermiſſionem, ſed nullum perfectionis detrimentum permittebat.

In iis, quæ admittendæ forent, non tam pium affectum, quàm intellectum benè diſpoſitum requirebat: cuius rationem à quodam viro doctiſſimo rogata reſpondit, affectum intra clauſtrum acquiri, intellectum verò minimè: immò quæ modici captus eſſent, ad omnem virtutis cultum ineptas, & alijs etiam noxias eſſe: quæ certè ratio prudentia illa cælesti digna videtur.

Si quas diuinis affectionibus habebat insignes, & vniuersè omnes cum peritissimis Theologis conferre iubebat: semper enim doctrinam eximiam exquisiuit, & coluit.

Sed prudentiæ infusæ laude apertè celebratam, nemo est, qui possit ignorare; cum de serijs negotijs passim conueniretur, & oracula cælestia ederet, quæ nisi diuinitùs edocta, nunquam protulisset.

Puellæ cuidam exacto iam anno ad professionem admissæ, cras, inquit, profiteberis. Respondit illa: Expectabo matrem meam, si ita iubeas: cupiebat enim matrem eò venturam, professioni interesse. statim ac verba hæc prompsit, subiunxit B. Virgo Teresia: Profecto in Congregatione nostra minimè profiteberis: nec vllo modo obtineri potuit, ne illam repelleret: Discessit, & sic à febre intra paucos dies interijt.

Aliam quandam iam professioni proximam contra totius Monasterij preces abiecit, nec, nisi causam cuiusdã corporalis notæ, quæ sanè leuissima erat, prætexere voluit. At consilio diuino id actum postmodũ

patuit: nec defuit, cui Deus id manifestaret.

Simili quoque repulsa neptem suam quãdam, nullis Monialium, vel consanguineorum precibus victa, reiecit.

Erant in Monasterio quodam Moniales duæ, orationis, & affectionum diuinarum fama celebres, quæ nisi Eucharistiam quotidie sumerent, animam efflare videbantur: Confessarijque non imperiti, Virginibus tã grauiter affectis quotidiano remedio succurrendum censuerant. Sed res eò processit, vt nisi summo mane Eucharistiam reciperent, viderentur interire. Monita de re B. Virgo Teresia, quę tunc aberat, obstare decreuit: sed siluit, donec eò veniret, & Confessarijs, cur eis dissentiret, rationem exponeret. Venit, & licet non omnes æquè verba caperent, seuerè tamen pręcepit Monialibus ne sic agerent, aiens: Ego quoque similibus æstuo desiderijs, & interdùm abstineo: quapropter omnino statuatis aliarum more vos abstenturas. Moriamur omnes: satius enim est mori, quàm singularem hũc

morem obtrudere; cum ſint aliæ ęquè Deũ amantes, quibus idem agere libebit. Diem ergo illum mœſtiſsimè duxerunt: minùs grauiter proximum: tertium leuiùs. Ac in hunc modum ad communem, ac tutam viã reductæ ſunt: quod B. Virginis Tereſię prudentiæ vertendum eſt.

Non immeritò hic annecti poteſt ſpirituum diſcretio, qua multorum laqueos diſſoluit.

Homo quidam ruſticus, opinione aliorum ſanctus, de ſuis affectionibus Beatam Virginem Tereſiam conuenit: ſeque cum Deo verba miſcere, aliaque ſublimia teſtatus eſt. Mox illa errorem deprehendit, & eius Confeſſarium ſecretò monuit, ne illius nomen oſcuraret. Nauauit operam, vt à viris ſapiẽtibus erudiretur, & obedientiæ actibus, & corporalibus obſequijs exerceretur; quæ cum ille reſpueret, paulò poſt amentiam ſuam publicauit.

Monialis quędam, ex alia Religione, ſe ieiunijs, ac vigilijs confecerat. Et quoties aliquis nouus ardor affectione ſubibat, vel


Eucharistiam sumebat, velut exanimis procidens, per horas septem, aut octo, sibi, & alijs ecstasi rapta videbatur. Confessarius B. Virginem Teresiam monuit: quę confestim non raptus, sed nimiam imbecillitatem esse, interdicenda exercitia, corpus refouendũ consuluit: quo responso, breui conualuit, nec vllum raptus vestigium extitit.

Sępe eorum, apud quos versabatur, latẽtes affectus introspiciens, opportuna cõsilia dabat, & ęgris animis corpore ęgrotans medebatur.

Verùm ad libri huius coronidem, silendum non est, omnia quę de B. Virginis Teresię virtutibus in medium producta sunt, si cum immortalis ingenij illius opulentia comparentur, esse nimis exigua. Sed ex ijs, quæ secreto Dei consilio, vel hominum incuria interciderunt, dolendum; ex inuentis clementissimo Deo grates agendę sunt.

LIBER QVINTVS

Corpus B. Virginis Teresiæ incorruptum inuenitur: Abulam importatur. *Cap. I.*



D tertij libri calcem obitum & ſepulturam deſcripſimus, ſed virtutum tractatu, à Virgineo corpore, tantillùm quaſi diuertere, opus fuit. Aequum verò eſt, corporis indicibus animi ſanctitatem, velut inculpatis teſtibus, verã oſtendere.

Poſtquàm ergo è vita migrauit, Virgines illæ ſepulchrum tenero affectu frequentabant. Vbi ſi forte ſomnus obreperet, ſtrepitu interdùm audito, ad orandum excitabantur. Et cum corpus lapidibus, & calce altè obrutum fuiſſet, mirum odorem, feſtis præſertim Sanctorum, quos B. Virgo Tereſia religioſiùs coluerat, efflabat. Erat odor

varius, modò liliorum, modò violarum fragrantiam repræsentans: qui certè Monialium animos corporis visendi studio vehementer inflammabat.

Captata igitur opportunitate, cum P. Prouincialis illac transiret, votum expletur. Ille quippe vnà cum socio, nouem ab interitu mensibus 4. Iulij anno 1583. effossa terra, conditorium fractum, vestes putridas, corpus mucidum, sed integritate mira incorruptum; tam vero corpus, quàm vestes, & conditorium odore suaui imbuta reperiunt, & manum sinistram, quam Olyssiponem detulere præcidunt. Mundis deindè vestibus, ac linteis obuoluunt, & in eodem loco digniùs reponunt, ac ita Virginei corporis dignitati, ac Monialium affectui consultum est.

Anno verò 1585. 18. Octobris Patres Carmelitæ Discalceati Comitia Pastranæ cogunt, & corpus Alba Abulam, in Monasterium scilicet, cui B. Virgo Teresia supremo tempore vitæ præfuerat, & vbi fundamenta reformationis iecerat, deferendum

decer-

decernunt. P.F.Gregorio Nazianzeno Vicario Prouinciali Castellæ res demandatur; & ad Monialium Albæ solatium, brachium alterum præcidere, ibique deponere iubetur. Expediuntur literæ ad tres noctis horas: quo tempore (mirum dictu est) Albæ, cum Moniales simul essent, ac de Comitijs verba facerent, ternos ictus semel, & iterùm iuxta se illatos audiunt, vt timerent, ne quis intra templum, sacrariumuè externus lateret, ac eum strepitum ederet. Quod cum ea quæ ianuis præerat, exploratura descendisset, ictus alios eiusmodi audiuit: sed re noua depræhensa, quæ Monasterio præsidebat ait: Ne ista curemus: dæmon fortasse nos perturbare conatur. At Monialis alia subiunxit, strepitum è conditorio B. Virginis Teresiæ proculdubio sonuisse: verùm quid portenderet, præsagiri non potuit, donec P.F.Greg. Decreti horam aperuit.

Venit ergo Albam Nouembris die 24. & Monialibus ad horas matutinas in chorum amandatis, ei quæ præsidebat, ac duabus alijs antiquioribus Patrum præceptum

legit, corpus detegit, veſtes putridas, ſed corpus integrum, odoratumque miratur: vbi præter corporis integritatem, ac odorem miracula bina enituerunt.

Vnum, inuento quaſi recenti Virginis ſanguine: cum enim morienti ſanguis erumperet, impoſitum fuit operimentum laneũ candidum, quod ſanguine maduit, & per annos tres ſanguinem ipſum velut recentem, ac mirificè odoratum ſeruauit: ita vt ſegmenta operimenti linteolis inuoluta, ſanguinis colore illa tingerent.

Alterum fuit, quod cum P. F. Greg. exemiſſet gladium, vt brachium Albæ remanſurum, ideſt, à quo ante manus præciſa fuerat, incideret, ſine vlla vi, quaſi caſeum recentem execuit.

Eueſtigiò corpus obuoluit, & domo effert: Moniales verò ſparſo ſuauiſſimo Virginis odore è choro ipſo, quid fieret, ſuſpicatæ, ſerò accurrunt: iam quippe Pater ille corpus extulerat, oſtiaque fuerant obſerata.

Abulæ verò immenſa gratulatione cor-

pus exceptum, & conditorio sericis operimentis, & auratis clauis elaborato, additoque phrygionici operis inscripto, exornatum est.

Corporis miraculum euulgatur: Albam refertur. Cap. II.



ISVM est expedire, Medicorũ accire consilia, vt corporis integritas exploraretur, ne quid non mirum accideret. Superiorumque concessu, Episcopus Abulensis D. Petrus Fernandez de Temigno, P.F. Didacus Iepes Prior Conuentus S. Hieronymi Madriti, posteà Episcopus Turiasonensis, Licentiatus Lauina Auditor Regij Consilij, & D. Franciscus Contreras posteà Auditor Consilij Granatæ, postmodùm Consilij Regij, qui ea tantùm de causa, ipsa hyeme, Madrito venerant, duo Medici, & aliquot alij viri graues, die Circumcisionis lætissimo 1586. corpus ad cubiculum commodum elatum, ostio Monasterij clauso,

facibus accensis, capitibus apertis, genibusque flexis explorant, & vim lachrimarum effundunt.

Facilè perspectum est; Medicis absque vlla hæsitatione asserentibus, corpus balsamo minimè conditum, calce, ac lapidibus obrutum humido loco repositum, post annos tres, & menses aliquot, integerrimum, ac odore mirabili commendatum, sine miraculo non potuisse perstare.

Episcopus obstupuit, & ne res euulgaretur, excommunicationis pœna interdixit: at qui scrutinio interfuerant rei prædicandæ cupidissimi, mira se vidisse dictitabant, tā nutibus magnum quiddam indicabant, tāetsi ne censura Ecclesiæ innecterentur, rem silerent. Posthac verò pæna sublata, miraculum celebratum est.

Hæc Abulæ, sed longè aliud Albæ: Dux enim D. Antonius de Toleto, & eius patruus D. Ferdinandus, qui dum corpus exportaretur, aberant, vehementer indignati de repetendo thesauro seriò cogitarunt.

D. ergo Ferdinandus Monasterium Al-

bæ petijt, & acriter monet ne brachium efferatur, ac pro corpore Summum Pont. interpellat: qui Patribus Carmelitis Discalceatis iubet, illud in locum priorem restituere.

Quamobrem P. F. Nicolaus à Iesu Maria Prouincialis per duos Patres F. Ioannem Baptistam Pastranæ F. Nicolaum à sancto Cyrillo Manzeræ Priores, corpus Albam reportari præcipit: quo 23. Augusti 1586. illatum est. Et quamuis Abula litem intenderit, postquàm vltrò citroque satis certatum est, Sixti V. præcepto corpus Albæ permansit. Quod per mensem, antequàm eò defferretur, Moniali cuidam, per visum, sub imagine Stellæ splendidissimæ in eodē loco, vbi collocatum est, nitentis, Deus significauit, tametsi, quod Stella portenderet, quo vsque relatum vidit, minimè intellexerit.

Tam verò corpus, quàm brachium mira integritate pollent: color dactylis est similis, caro aliquantùm macra, pellis alicubi contracta, sed nihil corruptum: odor suauis

& ſacer, quem lintea, vnà cum liquore quodam, iugiter deſtillante contrahunt, quæ ſubindè mutata, & reliquiarum more aſſeruata penè innumera ſunt. Corpus ſi ſubleuetur, manu tergo admota ſtat, exuitur, induitur, & Virginitatem illam puriſſimam prodigioſa incorruptione demonſtrat.

Apparitiones. Cap. III.



DECEBAT tot filiarum parentem ne morte quidem ipſa ab earum procuratione diuelli: quapropter in ipſo Virginis ſepulchro lux quædam cæleſtis, præſertim cum Monialis quæpiam interibat, ſæpe viſa eſt.

Siqua ſilentij tempore verba faceret, ictus terni in cellæ oſtio interdùm auditi, vt taciturnitatis admoneretur.

Sæpe Fratribus, ac Monialibus inſigni cum ſplendore, ac pulchritudine apparuit; ſed aliquid peculiare proferamus, neceſſe eſt.

Tere-

Teresia Laiz Monasterij Albæ fundatrix paulo post Virginis obitum ægrotauit: sed cum vis morbi sententia medicorum remissa fuisset, ac proindè valitura videretur, Virginem sibi propinquam solito more indutam, vultum hilarem præferentem, & manu, vt eò tenderet, annuentem intuetur. Rogat illa: Mater num obitura sum? accessit hora? moxque visum euanuit. Morbus incubuit, ægra se morituram, quod à. B. Virgine Teresia vocata fuisset, asseruit: & post modicum è vita discessit.

Cuidam, qui candidissima luce splendentem vidit, sic B. Virgo Teresia consuluit: nos cælestes, ac vos exules amore, ac puritate fœderati esse debemus: cælites intuentes diuinitatem, exules Eucharistiam venerantes: quam eo affectu, quo nos diuinitatē suspicimus, colere debetis. Nos sanè fruentes, vos labores perferentes; qui quò grauiores fuerint, eò fruitio cumulatior succedet. Hæc filiabus meis refer. F. Carmelita Discalceatus fuisse creditur.

Nonnulli B. Virginis Teresiæ mortem

festinationi, ac labori, quem dum Burgis Albam tenderet exhausit, ascribebant. Apparens verò cuidam F. Carmelitæ Discalceato dubium diremit, aiens, nō causis alijs, sed amori mortē tribuendam: impetus quippe amoris tantoperè inualuit, vt eum ferre nō valens natura succumberet.

M. Catharina à Iesu, quæ Monasterio oppidi Veàs præerat, absens B. Virginis obitum cognouit: quam cum postmodùm sibi apparentem intueretur, & illusionem veritā non omninò sibi visum persuaderet, Virgo respondit: Benè est, vt non leuiter credas: ego enim malo in his Monasterijs pluris veras virtutes, quàm reuelationes fieri: sed vt verùm hoc visum pernoscas, accede huc: & cùm accederet vulnus, sub altero vbere, & nigram notam in altera manu, quibus mederi nullo modo potuerat attingens euanuit. Remansit illa prorsùs sana, stupentibus ijs, qui affectiones illas minimè sanabiles agnouerant.

Anno post obitum elapso, cum M. Anna à Conceptione Monialis charitate, ac spiri-


tus feruore insignis Albæ morti proxima esset, ceteris Monialibus horas in choro Matutinas persoluentibus, vna ex eis introrsùm acta, B. Virginē Teresiā crucem mirificè elaboratam, ac pulchram ferentem, & altera manu Moniali cuidam, quam minimè cognouit, vt veniret, annuētē, intuetur. Procedit B. Virgo Teresia splēdens, cellam ægrotantis ingreditur, ac benedictionē impertitur: & statim Anna spiritum efflat.

Monialis quædam angebatur, quod nunquàm se Deo tam ardenter, quàm ipse vellet, dedisset: & præter opinionem die quadam anima introrsùm reuocata, exoritur multa sui cognitio, timor pace, & amore plenus, cui reniti, quamuis id moliretur, quòd in publico ageret, neutiquam potuit. Rapta est, & oblectatione, cui parem excogitare non licet, affecta, se intra lucem quandam cælestem, ibique sub fornice florum pulcherrimorum B. Virginem Tereſiam librum tenentem pectori admotum, apertum, literis auro pulchrioribus inscriptum intuita est. Mox B. Virgo Teresia lege in-

quit, filia, timebat illa, oculos aperire non ausa: Tunc B. Virgo Teresia velut subridens, porrecta manu, oculos leniter perfricauit, & robur multum indere visa est. Erigit illa cōfestim caput, & legit hæc: Sponsus meus potitur volūtate tua, vt ea ꝑ arbitrio suo, semper tamen tibi contradicens vtatur. Subiecit Monialis, qui potero rem hanc grandem præstare, quæ in exiguis me totam imbecillem experior? Respondit illa: inopinæ dabitur: & exiguarum rerum patientia, vires ad magna parantur. Subdit Monialis: quanam ratione, ò Mater, Domino gratificabor? Num recta via gradior? Respondet: qua tu vis duci minime: singularem modum auersare, sine te duci ab eo, qui tui curam gerit, & prosperum cursum tenebis.

Multiplicia huiusmodi spectra præterire necesse est: quibus fidem conciliant, & B. Virginis Teresiæ probatissima sanctitas, & eorum quibus apparuit, intemerata synceritas.

Miracula. Cap. IV.



Lluſtriſſimum ſanè fuit miraculum illud, quo nepotem ſuum D. Gonzalum de Oualle infantulum mortuũ amplexu, & intentiſſima oratione ſuſcitauit, de quo ſuperiùs dictum eſt. Legatur c. 15. lib. 1.

Toleti cum eſſet in ædibus D. Luyſiæ de Cerda, mulier quędam gingiuarum, & aurium acri dolore torquebatur, cui nullo remedio ſuccurri poterat. Precata eſt B. Virginem Tereſiam ſignum crucis partibus malè affectis induceret: quam illa façeto quodam reſponſo repulit, aiens: Abſcede, teque ipſa obſigna: non enim crucis ſignum à manu noſtra, ſed à ſe vim habet: & dum hæc ait, leuiter partes illas, velut ad repellendum tetigit: ſtatimque dolor euanuit.

Cum Medinam veniſſet, Monialis, quæ Monaſterio præerat, febri, & pleuritide pe-

nè ad interitum agebatur. Amplexa eſt illam, & eueſtigiò dolor extinctus eſt, proximoque die perſanata ſurrexit.

M. Anna à S. Bartholomæo eius indiuidua comes ex febri Valliſoleti decubuit: cumque poſtridie indè profectura eſſet, Deum precata eſt, eius ſocia valeret. Redijt in cellam ægrotantis: petijt an valeret; reſedit illa, & ſe valere gratulata proximo die, cum ea iter arripuit.

Medinæ Monialis quædam Eriſipilate, ac febre grauiter laborabat. Ne verò dulcissimis B. Virginis Tereſiæ verbis careret, è lecto ſurrexit, quam vbi aſpexit cœpit ei B. Virgo Tereſia blandiri, affectaque loca leuiter manu attingere aiens: Bono animo ſis filia, ſpero Deum te hoc morbo liberaturum. Extemplò malum eleuatum, & antequàm ex oppido diſcederet, prorsùs expunctum eſt, ſed multa ex paucis quæ prompſimus conijcienda ſunt: quæ B. Virgo Tereſia antequàm ex hac vita migraret, præſentiſſima Dei ope patrauit. Nonnullo modò ex ijs, quæ poſt obitum con-

tigere, attingere operæ pretium eſt.

Albæ P. F. Baeza Franciſcanus propemodùm ſurdus ex aure altera, vnde pus emanabat, die quadam brachium B. Virginis Tereſiæ admodùm fidenter auri admouit: & eodem veſpere à pure, & auditus difficultate conualuit.

Erat Olyſſipone Monialis quædam olfactus omnino expers (nunquam enim excurſu vitæ totius quidquam olfecerat, nec diſcrimen odorum agnouerat) Die igitur quadam Monialibus ſimul agentibus, M. Maria à S. Ioſeph, quæ Monaſterio præerat, B. Virginis Tereſiæ manum, quam apud ſe habebat, protulit, & odore ſuauiſſimo latè fuſo, ſingulæ ex ijs quæ aderant, excepta illa, vehementer commotæ, neſcio quid nouum percepta ſuauitate ſenſerũt, ac in Dei laudes proruperunt. Quod vbi illa ſummo dolore perculſa perſpexit, acceptam manum B. Virginis Tereſiæ naribus admouit; teſtata, ſe indè manum ſacram non amoturam, donec odorem perciperet, Deumq. aliarum more, & alacritate laudaret. Eodẽ

momento ſubiunxit, ſentire ſe fumum calidum per nares aſcendentem, eaſque patefacientem, manumque olfaciens ſenſum recepit, in cuius fidem odoramenta diuerſa ad experiendum eò allata, ſubtili olfactu diſcreuit.

Olyſippone quoque nonnullæ Moniales, quæ ex Flandria venerant, à Diſcalceatis hoſpitio exceptæ ſunt. Erat autem inter hoſpites M. Catharina à Spiritu ſancto Cardinalis Granuelæ ex ſorore neptis, quæ per annos viginti, ne diem quidem vnum, ſine ventriculi dolore, duxerat; parciſſimè veſcebatur, & ferè omnia ſtatim euomebat. Affertur ſacra manus, ventriculo admouetur, extemploque dolor acerrimus excitatur, ſed confeſtim extinguitur, & M. Catharina perſanatur. Quod vt experimentis pareret, coram doloris anteacti teſtibus, eſculenta, quæ olim vehementer nocebant, ſine vlla læſione comedere conſueuit.

In eadem Vrbe D. Alphonſus Coloma Inquiſitor Epiſcopus poſteà Barcinonenſis, & Illuſtres viri nonnulli miraculum exper-

turi, cultri summitati muscum modicum infixum manui sacræ adiunxerunt, ac volutarunt, subitoque odor ille vehemens euanuit. Quod cum stupore dignum videretur, Medicus Principis Cardinalis consultus est, an in cadauerum contactu subesset aliquod naturale secretum: respondit immò res odoratas in sepulchris recondi, vt seruarent odorem. Quapropter ille miraculo ad experimentum allectus est: & eius chirothecis odoratissimis sacra manus immissa illarum odorem extinxit.

In anxio autē partus discrimine ad mulieres duas pillustres in eadē vrbe manꝰallata, partū fœlicem impertita est: alteri verò (vt ipsa certò asserebat) etiā vt sine dolore pareret.

Albæ Pater quidam Carmelita Discalceatus acceptum B. Virginis Teresiæ brachium osculatus particulam ferè loco excidentem, quæ arida è brachio pendebat, dentibus concerpsit, & papyro condidit. Post dies octo explicatam inspexit, & sanguinis recentis guttam, quæ triplam chartam peruaserat, vidit. Miratus admodùm chartam

aliam aduoluit, & alia gutta recens erupit: quod multi teſtes oculati obſtuperunt.

Albæ feſto Epiphaniæ 1588. Eliſabetha Hernandez, ex pleuritide ſalute à Medicis deſperata, vehementer inſtitit, aliqua B. Virginis Tereſiæ reliquia afferretur. Panniculus ergo ſanguine tinctus allatus eſt: impoſitusque capiti, dolorem ſtatim lenire cœpit, & adhuc præſente Sacerdote, qui eum capiti intulerat, febris euanuit, ſurrexit, & brachium B. Virginis Tereſiæ veneratura in Monaſterium feſtinauit.

In eodē oppido die 8. Martij 1587. puella triennis filia D. Aluari de Brachamonte, vomitu ſanguinis, febreque moleſtiſſima iam animam agere credebatur. Antonius Zamora ſacerdos allatum linteolum ſanguine tinctum capiti imponit, & eodem momento puella oculos, quos morbus obſtruxerat, aperit, loquitur, conualeſcit. Quod in admirationem præſentes arripuit.

Medinæ anno 1586. lætiſſimo Circumciſionis die, M. Ioanna à Spiritu ſancto integrum propè annum febriens, ſed per ſex

men-

menſes vltimos morbo comitiali ſæpe intercepta, iſchiade contracta, & corpore toto ſic obligata, vt ne manibus paropſidem tenere poſſet, ab infirmarum miniſtra cum dolores ingraueſcerent, reliquiam B. Virginis Tereſiæ frequenter poſtulabat: ſed conſilio Dei, miniſtræ ſemper memoria excidebat. Ergo die illo lætiſſimo, ſegmentum faſciæ ægrotanti admotum eſt: ipſoq. momento dolor tam vehementer inualuit vt interire proculdubio videretur. Cum verò aliquandiù ſibi vim intuliſſet, dolorem ferre non valens, reliquiam amoueri precatur: ſed alia quædam, ò ſoror, inquit, firmiter confide, & experire, an ſurgere valeas. (eo quippe die induta, & ad Euchariſtiam ſumendam elata fuerat) vix ea verba prompſerat, cum manum porrexit, & vt exurgere tentaret adiuuit. Surrexit, ſtetit, per ſcalam difficilem ſola deſcendit, eam, quæ præerat, vt miraculum ſpectaret, appellauit, omnes vt Deo grates agerent, cum fletu commouit. Oſtupuere omnes, ſomnium quippe viſum eſt.

Ceterum non linteola, veſtiumque ſegmenta tantùm, ſed B. Virginis Tereſiæ imago mira multa operata eſt.

Ferdinandus Tregius Hiſpalenſis pijs operibus deditus à dæmonibus vſque ad tetras apparitiones torquebatur. Quadam ergo die, cum acerrimè vexaretur, B. Virginis Tereſiæ imaginem inopinus arripuit, exiſtimans Reginæ Virginum imaginem eſſe, quam hoſtibus incurſantibus opponere ſtatuerat. Vix eam obfirmarat, cum agmen infeſtum multis vlulatibus euanuit: quamobrem B. Virginem Tereſiam ab ea victoria impensè colere cœpit.

Sacerdos quidam Palentinus, qui B. Virginem Tereſiam nouerat, ex grauiſſima ſpiritus afflictione, per triduum ſacrum facere nequiuerat. Eam igitur inuocat, & dum horas recitat, apparet illa dicens: Rectà graderis fili, perſeuera. Ille ſe ad eius pedes prouoluit, & benedictionem precatur. Reſpondet, Deus tibi eam impendat. Imaginem quandam ſuam donat, ac euaneſcit. Remanſit ille cęleſti dono diues,

quod fidiſſimè ſeruauit.


Plurima ſunt alia, quæ fuſioribus hiſtorijs partim euulgata, partim euulganda, B. Virginis Tereſiæ famam, quæ iam fines orbis extremos peruagata eſt, in dies ſingulos nouis incrementis amplificant. Quemadmodùm enim, quamdiù vixit, Dei gloriam virili auſu, virili corde propagauit: ſic Deus clementiſſimus eam orbe toto laudari, miraculis, ſcriptis, grauiſſimorum virorum ſermonibus, Principum, ac Regum votis, qui relationem inter Sanctos expoſcunt, celebrari, Summorum Pontificum propenſione probari conſtituit.

Hiſtoriam ergo ampliorem, ne illos quibus negotia multa tempus adimunt, tantæ Virginis celſitudo lateat, ſic contrahere, operæ pretium viſum eſt. Faxit clementiſſimus Deus, vt voti compos contractor euadat.

Et tu clementiſſima Virgo Tereſia cuius animus planè inuictiſſimus orbem domuit, cælo vim attulit, Dei corde potitus eſt, faue obſecro huic ſcriptori tuo, qui mil-

lenos calamos, vt heroica gesta tua celebret, exercere cupit. Modicum est sanè, nobilissima Virgo, quod extuli, nimium parce scripsi: at quidquid moliri possum, èxiguum est: libenter me vinci fateor. Gaudeo sanè victoria tua, quam non tam verba, quàm eximia facta commendant. Bene est gloriosissima Victrix, vt quantumuis insignis eloquentia cælestia facta non æquet. Perfruere victoria: sempiternum triumphũ age: & in animum hunc tibi laborantem semel saltem oculos collima. Ne vota inopum asperneris purissima Virgo, nec in audacem scriptorem excandescas; te potiùs lenitas, quàm ira decet. Potes opem ferre; apud immortalem Regem, ad cuius nuptias compta es, gratia vales: iã portũ tenes, non ignara discriminũ, benè conscia laborũ, quos exantlo. Per illud ergo immẽsi amoris incẽdiũ, quo in dulcissimũ Deũ deflagrasti, obsecro te, filio tuo multis calamitatibus obsesso manum porrigas, & ad optatissimã Vrbem Hierusalem, æterna libertate donandum, rectà perducas.

FINIS.



ERRATA SIC CORRIGE.

Pag.	Lin.		
7	8	eximiam	eximium.
15	3	promoueant	permoueant
18	19	propagauit	progugnauit
20	9	perſpiciat	proſpiciat
30	9	inſtituere	inſtruere
31	4	in ſe ipſum	in ſcopum
62	21	clementiæ	clementia
67	vlt.	Salaxara	Salaxar
71	7	ac	à
78	17	& Epiſcopũ	Epiſcopum
85	14	perſcripſit	præſcripſit
88	14	intra	inter
96	7	ſplẽdidiſſimã	ſplendidiſſima
102	9	oracula	oraculum
107	14	liquebat	liquebit
109	10	Damaſceni	Damaſcenas
110	penul.	victoria	victoria captum
112	16	dereptione	direptioni
119	15	verum	verum quid
120	21	alium	in alium
130	5	exiguam	contiguam
132	vlt.	hic	hic lector
143	8	hoſpitio	hoſpitium
143	vlt.	perfluens	perpluens
184	2	Nouember	Nouembris
190	17	cũ agerẽtur	cum hæc agerentur
192	6	Prouinciale	Prouinciali
200	15	Prouincialis	Prouincialẽ
202	14	Virgini	Virginis
212	9	læta	lata

Pag.	Lin.		
218	2	valebat	valeret
219	8	Generali	Generale
223	1	dedicerit	didicerit
226	21	orationis quiete	oratione quietis
238	3	illi	illam
238	7	quo ſe	quo promiſi ſe
240	11	aliis	illis
242	16	mẽto traiectò	mento, ne traiecto
246	10	ſperauit	ſperarit
248	8	intendere	tendere
250	8	centem	cente
251	23	rogari	rogare
253	12	uit	rit
254	24	ſuſcitantes	ſciſcitantes
255	2	obire	abire
262	12	Prouinciali	Prouinciale
264	24	lætiſſimum	latiſſimum
266	16	aliorum	aliarum
267	8	lætiſſimo	lectiſſimo
269	18	ne illã repelleret	illam non repelleret
271	17	oſcuraret	obſcuraret
271	24	affectione	affectiouè
277	2	& auratis	& in auratis
277	15	Lauina	Laguna
279	18	quod	quid
283	13	dediſſet	dedidiſſet
286	11	Eriſipilate	Eriſipelate
ibid.	20	ſed	Sed

REGESTVM.

A B C D E F G H I K L M N OP
Q R S T V X Y Z.
Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii
Kk Ll Mm Nn Oo.

Omnia sunt folia integra.



ROMAE. MDCIX.
Apud Stephanum Paulinum.

Superiorum Permissu.

Domus Romanę minist: Infirmos


BIB TECA
NAZIONALE
VITT. EMANUELE
MA
35
C
8

